AUTHOR:

VERMAAT, HENDRIK

TITLE:

DISPUTATIO DE AETATE, QUA CONSCRIPTA EST...

PLACE:

LUGDUNI-BATAVORUM

DATE:

1893

Master Negative #

91-80207-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Vermaat, Hendrik,
Disputatio de aetate, qua conscripta est Historia Augusta; specimen litterarium inaugurale quod ... submittet Henricus Vermaat... Lugduni-Batavorum, apud J. W. van Leeuwen, 1893.
128 p. 23½ cm.

Thesis, Leyden, 1893.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/21/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Disputatio de Aetate, qua conscripta est Historia Augusta.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

S. J. FOCKEMA ANDREÆ,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT., IN FACULTATE JURIDICA PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS VERMAAT, S. J.,

ROTERODAMENSIS,

DIE XXV MENSIS OCTOBRIS, A. MDCCCXCIII, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD J. W. VAN LEEUWEN.

(Maarsmansateeg).

MDCCCXCIII.

Carissimae Matri, Patris piae memoriae.

In hoc studiorum curriculo ad metam perventurus, summis viris, quos magistros audire mihi contigit, gratias ago quam maximas.

Fieri autem non potest, quin mihi in mentem veniat eximii viri CORNELISSEN, *qui cum veterum in hac Academia philologorum locum digne tueretur, nobis tamen maxime colendus exstitit, quod paterno animo nos complectebatur. Ne morbi quidem vi oppressum discipulorum oblitum esse experti novimus. Quem immatura morte nobis ereptum lugemus, divina munificentia amplissimo virtutum atque meritorum proemio donatum esse confidimus.*

Tibi vero, qui tanti magistri desiderium leniisti, vir doctissime HARTMAN, *Tibi quid debeam memori semper mente recordabor. Summa enim ingenii praestantia, sed et singulari comitate studia nostra rexisti, adjuvisti, promovisti.*

Pares gratiae Tibi persolvendae sunt, vir clarissime VAN LEEUWEN, *quem pro doctrinae copia certissimum studiorum ducem, pro humanitate benevolum fautorem cognovimus.*

Scribebam in Gymnasio Catvicensi, mense Oct. 1893.

DISPUTATIO DE AETATE,
QUA CONSCRIPTA EST HISTORIA AUGUSTA.

INDEX CAPITUM.

I.

Status Quaestionis.

Quamquam Scriptores Historiae Augustae, qui dicuntur, vitas Romanorum imperatorum ab Hadriano ad Numerianum nobis ita enarraverunt, ut Suetonium exemplum imitati, de cujusque origine, indole, rebus gestis fuse ac copiose, disseruerint, ubi tamen brevissimis Victoris et Eutropii commentariis minime contenti eos adimus, ut pleniorem et accuratiorem illorum temporum notitiam comparemus, misere nos frustrantur. Nam magna illa epistularum actorumque copia, quam afferunt, scriptores quos multos laudant, tabularia quae perscrutatos se esse dicunt, eximiae quidem eruditionis speciem prae se ferunt, ubi vero singula ad obrussam exiguntur, saepe falsas epistulas inseruisse deprehenduntur, testes evocasse aliunde plerumque ignotos, ne nomina quidem accurate tenuisse eorum quorum vitas exposuerint; imo tam saepe mendacii coarguuntur [1]), ut si quid tradant quod ex

1) Cf. H. Schiller, Geschichte d. Röm. Kaiserzeit I. II, p. 596.

aliis monumentis confirmari non possit, jam nullam fere fidem faciant.

Atque Scriptorum quidem de se testimoniis si credere velimus, apparet non unum esse sed plures, scripsisse autem inter Diocletianum et Constantinum Magnum.

Et sane in libris manuscriptis vitarum illa series tribuitur sex scriptoribus: Aelio Spartiano, Julio Capitolino, Aelio Lampridio, Vulcatio Gallicano, Trebellio Pollioni, Flavio Vopisco.

Trebellio Pollioni quidem una vita Claudii, Flavio Vopisco vitae postremae ab Aureliano usque ad Numerianum tribuuntur. Ceterae quoque quamquam non carent subscriptione qua uni ex quatuor reliquis assignentur, constat tamen harum subscriptionum ordinem pessime turbatum esse. Nec aliunde auxilium acciri potest, cum sex scriptores nostri a nullo unquam memorentur, nisi quod Jordanis Get. cap. 15 ex Q. Aur. Memm. Symmacho, qui consul fuit anno 485, verba quaedam affert quae ad litteram desumpta sunt ex vita Maximini. Flavius Vopiscus tamen Julium Capitolinum et Aelium Lampridium una cum Suetonio Tranquillo citat (Prob. 2), sed quid scripserint non addit. Aliquanto plus prodest quod idem refert Pollionem scripsisse vitas imperatorum a Philippis usque ad Claudium (Aurel. 2), et triginta tyrannorum (Quadr. Tyr. 1). Jam vero in codicibus nostris desiderantur vitae imperatorum a Philippis usque ad Valerianum atque hujus etiam initium. Vitae autem Maximi et Balbini, quae mutilam Valeriani vitam proxime antecedit, subscriptum est: „Maximus et Balbinus Juli Capitolini explicit, incipit ejusdem Valeriani duo"; atque in singulis deinceps vitis repetitur illud „ejusdem" usque ad Claudium.

Huius vero vita quamquam *in*scribitur „incipit ejusdem (i. e. J. Capitolini) vita Claudii", subscriptio tamen subito mutatur: „explicit Trebellii Pollionis divus Claudius". Hinc probabiliter inferunt viri docti totam illam Pollionis seriem, quae a Vopisco laudatur, in corpore H. A. olim locum suum obtinuisse; codicis vero archetypi foliis forte solutis quaedam excidisse, deinde librariorum errore — quos scilicet vox „ejusdem" decepisset — Pollionis opera Capitolino tributa esse.

Haec tamen minime sufficiunt ad variam illam quae in H. A. extat subscriptionum confusionem explicandam. Soluta enim codicis folia id quoque effecerint fortasse ut ordo temporum non semper servaretur [1]), sed quomodo efficere potuerunt ut ex tribus vitis, Hadriani, Aelii, Antonini Pii, quae rite sese excipiunt, duae priores Spartiano, tertia Capitolino tribuantur, cum tamen satis manifestum sit primam et tertiam ab eodem scriptore, secundam vero a diverso conscriptam esse?

Ut igitur de imperatoribus mentiuntur Scriptores ita de Scriptoribus librarii: restat quaestio mentianturne etiam de seipsis Scriptores in iis quae de se deque sua aetate significant.

Etenim haud ita pridem v. d. Dessau [2]), adjutus magna illa, qua pollet, doctrina et perspicacissima mentis acie probare conatus est, omnia illa de Scriptorum tempore personisque indicia lectorum decipiendorum causa per H. A. esse sparsa, et ab uno quodam falsario, qui vixerit post Theodosium Magnum, totum opus esse conscriptum. Cum autem aliquantum

1) Quod post Richterum J. Plew (De diversitate auctorum H. A.) probavit contra Peterum; cf. Praef. ed^{nis} 1884, p. XIII.

2) Ueber Zeit und Persönlichkeit der S. H. A. Hermes, 24 p. 337—392.

intersit, utrum unici illi totius fere saeculi tertii testes, ut Mommseni verbis utar, fons sint quantumvis turbatus an mera cloaca, viri docti quaestionem a Dessavio motam acriter arripuerunt atque in diversas partes de ea disputaverunt.

Th. Mommsen [1]) mediam viam ineundam ratus, concedit Dessavio vitae Severi cc. 17—19 desumpta esse ex c. 20 Victoris, qui anno 360 Caesares suos edidit; item vitae Marci cc. 16—17 ex l. VIII c. 11 sqq. Eutropii, qui paucis post Victorem annis historiae Romanae conpendium scripsit; vaticinium tandem, quod in vita Probi c. 24 memoratur, fingi non potuisse ante annum 395. Negat vero haec sufficere ut totum opus fraudem esse suspicemur, posse enim has partes postea a corruptore esse insertas; atque dein, allatis argumentis, evincere nititur operis summam aetate Diocletiano-Constantiniana confectam esse. Concedit etiam Scriptores subinde falsa proferre de aetate sua, leviuscula tamen, ut non centum sed viginti annis vetustiores se fingant.

Hoc enim fere modo corpus H. A. natum esse putat. Diocletiano Augusto vir litteratus — vel viri litterati, utrum enim unus fuerit an plures id jam dijudicari non potest — enarravit vitas Augustorum ab Hadriano usque ad Macrinum; fortasse a Nerva initium fecit, ut continuare videretur Suetonium, fortasse ab illo ipso qui primus Caesar Augustus est dictus (cf. Ael. 1). Paulo post Pollio et Vopiscus scripserunt ea quae nunc ipsis tribui solent, non tantum Augustos, sed etiam collegas in imperio, Caesares, „tyrannos”, quos uno communi nomine „principes minores” deinceps dicemus. Atque

1) Hermes, 25 p. 228—292. Die Scriptores H. A.

iterum post paucos annos, cum Constantinus devicto Licinio (anno 324) totum orbem terrarum teneret, quartus quidam, qui Constantino Imperatorum vitas in unum corpus redactas dedicare vellet, horum omnium libris collectis addidit Heliogabalum et qui sequuntur usque ad Philippos. Cum autem videret in parte posteriori inveniri etiam principes minores, in priori illos deesse, huic ipse eos inseruit, ita tamen ut a priore auctore conscriptos et ad Diocletianum missos esse simularet. Ne ab aliorum quidem opere manus abstinuit sed quaedam mutavit, addidit, Macrini vero vitam de novo elaboravit et Pollionis triginta tyrannis duos adjecit (c. 31, 7 — ad f.). Ita nimirum factum est ut quatuor scriptorum opera tam similia inter se exstiterint. In quatuor igitur prioribus auctoribus non quid cuique proprium sit statuit Mommsen, sed distinguit seriem primam „Diocletianam” quae complectitur vitas usque ad Macrinum et Diadumenum et seriem alteram „Constantinianam”; seriem vero Diocletianam iterum dividit in seriem primariam, in qua vitae Augustorum narrantur et seriem secundariam quae continet vitas Collegarum in imperio, Caesarum et usurpatorum. Hac eadem ratione nobis quoque saepius de serie prima primaria et prima secundaria sermo erit, in singulis vero vitis traditum scriptoris nomen servabimus. Quartus autem scriptor, qui trium praecedentium vitis collectis suas addiderit est Mommseni „diasceuastes primus”. Sed opus ita perfectum postea, exeunte saeculo quarto, retractatum auctumque est famosis illis locis ex Eutropio et Victore descriptis, et vaticinio de Probi posteris, et aliis forte quibusdam sententiis: en alterum Mommseni diasceuasten.

Qui deinde in arenam descenderunt O. Seeck [1]) et E. Klebs [2]) quamvis in universa quaestione prorsus contraria defendant, in rejiciendis tamen Mommseni diasceuastis conveniunt: tale quid Homero aliisque scriptoribus saepe manu tritis evenisse, non obscuris illis opificibus de plebe [3]). Cum autem opuscula sua fere simul emiserint, non alter alterum sed uterque Mommsenum impugnat; postea vero ad nonnulla quae dixerat Seeck, Klebs respondit [4]).

V. cl. Seeck ex omni parte assentitur Dessavio, cujus se labore multis aerumnis, quas semper sibi facessierint S. H. A., liberatum testatur. Cum autem ipsa Mom[i]. conjectura, qui quantum libet diasceuastis suis tribuere potest, ab omni fere eum impugnandi ratione seclusum se videret, eo redactus est, ut singulos locos quibus auctorum aetas definitur, post Theodosium scriptos esse demonstraret. Praeterea Dessavii sententiam perficere sibi videtur ingeniosa quadam conjectura, qua studet et tempus accuratius definire et explicare cur falsarius istam fraudem machinatus sit. Eximia enim laus qua Claudius Gothicus propter affinitatem cum Constantio celebratur, indicio est auctorem viro qui utcumque cum illo nomine conjunctus esset servire voluisse. Jamvero ea aetate qua Alaricus Gothorum rex Romae plus polleret, quam ipse imperator Honorius, in Britannia imperii aemulus exstitit, qui mox Gallia potitus Constantinum III se dixit et per tres annos illas regiones obtinuit. Hunc Romanam rem aliquando restituturum esse speravit auctor H. A., utque eum

1) Jahrbücher für Philol. 141, p. 609—639, Die Entstehungszeit der H. A.
2) Rheinisches Museum f. Philol. N. F. XLV, p. 436—446.
3) Bernhardy, de S. H. A. prooemia duo 1847, p. 6.
4) Rh. M. f. Ph. N. F. XLVI, p. 1 sqq.

civibus suis quasi digito ostenderet in generis principe Claudio Constantinorum gloriam celebravit. Quod cum propter Honorii metum aperte facere non auderet, scripsit seriem imperatorum, cui aliena nomina tempusque alienum affinxit. Meram hanc esse hypothesin ipse v. d. iterum iterumque affirmat.

Klebs vero cum prius impugnare voluisset Dessavium, id autem sibi a Mommseno maximam partem praereptum videret, inde pugnam suscepit ubi ille desedit. Ut omnes scriptores veteres ita H. A. interpolatam esse facile concedit; negat interpolationem tam late patere ut diasceuasis dici possit, partes autem illas ipsi etiam Mommseno suspectas jam inde ab origine in vitis Marci, Severi, Probi, eundem quem nunc locum occupasse.

Tandem v. d. Wölfflin [1]) ut argumenta quibus Mommsen et Klebs Dessavium impugnaverunt corroboraret, ex vario dicendi genere ostendit non unum sed plures auctores esse; et hac in re quaedam acute adnotata illi debemus [2]).

Itaque ratione habita eorum, quae hac de re nuper disputata sunt, statuere licet, quaestionem de aetate qua conscripta sit Historia Augusta jam eandem esse atque hanc, sitne quibus ipsa dicit temporibus conscripta, necne. Atqui quemadmodum cum Mommseno nil miramur eum qui narrare velit, nec tamen quod narret habeat, aut rem tradendam non satis cognitam teneat, multa fingere et passim a vero deflecti; ita minime credimus quemquam de industria falsum nomen falsamque aetatem simulando lectores in erro-

1) Sitzungsberichte d. Philos. Philol. u. Hist. Cl. d. K. B. Ac. d. W. 1891, p. 465—538.
2) Quod autem conjicit Wölfflin primam seriem minorem a Vopisco conscriptam esse, id levi nimis fundamento niti videtur.

rem inducere voluisse, nisi id invictis argumentis probetur. Ea vero quae a Dessavio et Seeck prolata sunt rem conficere minime videntur. Haec igitur accurate perpendamus et videamus quid iis aut responsum sit aut respondendum. Praemittimus quaestiones de tota H. A. generatim, deinde de singulis partibus disputabimus.

II.

Unus an Plures?

Quamvis nostra disputatio de S. H. A. aetate potissimum futura sit, quaestio tamen de eorum numero aliena ab hoc loco non est. Si enim constet sub variis nominibus fictis unum simulatorem latere, idem de sua quoque aetate aliquam saltem fraudem fecissse statim deprehenditur. Cum enim S. H. A., si ipsis credamus, a Diocletiano usque ad Constantinum vitas suas scripserint, quis quaeso credat falsarium per totos triginta annos easdem fraudes continuasse? Sin autem hae vitae a pluribus auctoribus originem duxerunt, non sane verisimile est eos omnes ad hujusmodi fraudem conspirasse operamque suam contulisse. Dum igitur planum faciamus plures esse scriptores, quot sint, quidve cuique sit proprium id nunc quidem parum moramur.

Dessavius diligenter omnia congessit, quae cum in multis vitis similia essent singularem quendam auctorem arguere viderentur. Ea Mommsen, Klebs et Wölfflin aut diminuerunt,

vitas aliter dispertiendo [1]), aut explicarunt easdem locutiones afferendo ex aliis auctoribus, maxime ex Suetonio quem S. H. A. ubique imitantur [2]). Addunt quoque iidem proprium fuisse Romani ingenii singula litterarum genera ad certam quandam et constantem quasi formam redigere. Quid quod ipse Vopiscus fatetur se Pollionem exemplum sibi proposuisse; quidni ille vicissim qui Constantini aetate scripsit, Vopiscum sit imitatus?

Cum igitur mirari non liceat existere quasdam similitudines, dissimilitudines indicari possunt, quae plures esse auctores perspicue demonstrant. Et primum quidem ingenia, quae dicuntur, historica prorsus diversa arguunt vitae, quarum aliae magnam historiae utilitatem afferant, aliae fere nullam. Audiamus hac de re virum universae Romanae historiae longe peritissimum [3]) „Jene (vitae in serie prima primaria) sind echte allerdings vielfach zerrüttete Geschichtsquelle; die der zweiten Reihe enthalten wenig oder gar kein eigenes wirklich geschichtliches Material, und sind wesentlich entweder aus jener der ersten zusammengestoppelt oder gefälscht." Quod deinde ostendit comparando inter sese vitas Marci Aurelii et Avidii Cassii. Eodem modo auctor vitae Hadriani incipit ab ejus origine, narrat dein pueritiam, juventutem, magistratus; quid fecerit quum Augustus creatus esset; tum itinera, quid singulis locis egerit, quae indoles

1) V. c. locutio „in litteras mittere" non legitur in Mommseni serie prima majori.

2) Cf. Klebs, l.l., p. 453 in nota; Wölfflin, l.l., p. 477 sqq. Ita voces „cibus, vinum" conjunctae cum „parcus, avidus", aliis hujusmodi leguntur apud Suet. Caes. 53, Aug. 77, Tib. 42, Claud. 44. Notitia „vixit annis.... imperavit...." Suet. Cal. 59.

3) Mommsen, l.l., pag. 246.

qui mores fuerint, quomodo successioni prospexerit, qua denique ratione mortuus sit, confuse illa quidem effutit, nec distinguens quae memoria digna sint, quae non sint, multa tamen nos docet aliunde ignota. Contra in vita Aelii praeter ea quae jam ex vita Hadriani didiceramus nil nisi morum quaedam notatio exhibetur, quae ad vitae quotidianae minutissima descendit, ut ex urbanis rumoribus et hominum garrulitate potius quam ex historico fonte hausta videatur. Omnes vitas primarias inter et secundarias usque ad Macrinum, eadem diversitas cuivis vel obiter legenti facile apparet. De tota serie secundaria valent Mommseni verba: „Es wimmelt hier alles von Anecdoten, Orakeln, Vergil und anderen Versen, insbesondere von litterarischem Plunder."

Idem tamen paulo post haec addit: „Weder sind die secondären Biographien des selbständigen Inhalts völlich baar noch sind die Primären von den Fälschungen gänzlich verschont geblieben" [1]). Et hic statim in mentem veniunt vitae Marci cc. 18 et 19, ubi declamationem quandam de Marci sanctitate et de perversitate Commodi legimus, famosamque illam de Faustina fabulam. Severi item c. 20 lamentatur scriptor infelicitatem Severi quod Bassianum et Getam filios reliquerit. Caracalli cc. 10 et 11 narratiuncula de imperatoris incestu cum Julia noverca ansam praebet declamationi de Caracalli perversitate; tota denique vita Macrini „ist überhaupt so beschaffen dass man zweifeln kann ob sie nicht viel mehr aus dieser Reihe auszuscheiden und mit der Maximinisch-Gordianischen Gruppe zusammen zustellen ist" [2]).

1) l.l. pag. 250.

2) Mommsen, l.l.

Quae fides Pollioni et Vopisco habenda sit, ex vitae Aureliani initio discimus [1]). Seriei tandem Constantinianae pretium aestimat Mommsen comparando inter se Maximini cc. 8—13 et Herodiani lib. VII initium. Est autem ejus conclusio haec: „Diese Bearbeitung besteht abgesehen von der Verkürzung unter mehrfach begegnender Entstellung der Vorlage wesentlich in einer rhetorischen Amplification, wobei auch die an zwei Stellen eingelegten Urkunden lediglich die Vorlage mit gesteigerter Emphase wiederholen" [2]).

In epistulis etiam insertis plurimum inter se discrepant eaedem vitarum series. Quum enim in prima serie Augustorum non inveniantur nisi in vita Macrini: „erscheinen sie massenhaft in Avidius Cassius, Niger, Albinus, Diadumenus;" in serie igitur secundaria exceptis Vero, Aelio, Geta. Pollio quoque multas epistulas adulterinas affert; Vopiscus solus plures quam alii universi.

Tandem ex fontibus allatis series Diocletiana primaria a ceteris omnibus facile dignoscitur. In illa enim praeter ea quae de vita sua Hadrianus et Severus ipsi scripsisse dicuntur, solus citatur Marius Maximus [3]). In ceteris jam inde a vita Albini Herodianus adhibetur, qui suum quidem sibi habet pretium, sed çujus verba saepe parum accurate de-

1) Aur. 2 „Adserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose.... prodidisset, me contra dicente neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum.... 'propterea scribe, inquit, ut libet, securus quod velis dices, habiturus mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur auctores'."

2) l.l., pag. 262 sq

3) Excipiendum est hic quoque caput illud rhetoricum in vita Severi: „legisse me apud Helium Maurum Phlegontis Hadriani libertum memini." Sev. cap. 20

scribuntur; multi deinde alii commemorantur qui aut plane ignoti sunt, aut fere nihil ad historiam cognoscendam conferunt. In vitis enim Albini, Macrini et iis quae sequuntur, nominatur Aelius Cordus, qui collegit rumores urbanos fabellasque ex hominum infirmitate et garrulitate coortas; citantur in Av. Cass. cap. 5. 1 Aemilius Parthenianus; cap. 1. 2 Quadratus, qui etiam in vita Veri cap. 8. 4 occurrit. Eorum qui in ceteris vitis prodeunt major est numerus, quam ut nominum elenchum exhibeam. Vopiscus denique non testes tantum sed et ephemerides et libros linteos bibliothecae Ulpiae (Aurel. 1. 6) et libros elephantinos (Tac. 8) in medium adducit. At vero hi omnes, quotquot laudantur, non sunt pro uno Mario Maximo qui in serie Diocletiana primaria testis producitur; imo magna ista fontium farrago rhetoricam potius emphasin quam historicam fidem sectatur. Quis autem credat scriptorem qui prius optimum fontem elegerat ut vere historiam scriberet, dein decurrisse ad obscuros illos homunculos, (si tamen unquam inter mortales fuerint) ut fabellarum centonem consueret. Nil hic efficiunt verba Seeckii [1]): „Da dem Verfasser der Sammlung der Mut und die Lust zu seinem kindischen Fabulieren im Verlaufe der Arbeit stetig zunahmen so enthalten die ersten Biographieen die wenigsten Fälschungen." Nam in prima serie illa fabulandi libido crescit vel decrescit prout vita quaedam primaria vel secundaria scribenda est.

Sicut rebus ita et dicendi genere primae Augustorum vitae magnopere a ceteris discrepant. Illae enim tenuissimo quodam stilo conscriptae sunt, qui ad modum annalium per

1) l. l. pag. 613.

breves sententias coordinatas nec inter sese conjunctas procedit. Ceterae ornatius atque elatius dicendi genus sectantes longos saepe sententiarum ambitus deducunt. Sed res illis parum procedit: tumidiores quam ornatiores sunt et quoties assurgere conantur misere decidunt, ut si quis volare velit qui alis careat. Omnium maxime ampullatur Pollio, qui in Claudii vita ad ipsum genus panegyricum aspirat [1]).

Neque tantum verborum atque sententiarum ambages stilum rhetoricum sapiunt, sed hoc etiam quod scriptores quavis data occasione de se ipsi loquantur. Inspiciamus vitam Aelii: statim occurrunt haec 1. 1. „in animo *mihi* est" — „feci," c. 2. 1 „nostris temporibus", 10 „disseremus" c. 3 „superius diximus" c. 5 „nos ipsi persecuti sumus" c. 6 „ut diximus" c. 7 „ut jam diximus" c. 7. 5 „non tacui" (saepius). Talia etiam in ceteris principibus minoribus frequentissima sunt, rarissima vero in Augustis primae seriei.

Iis tamen locis ex Marci, Severi, Caracalli vitis, qui jam semel atque iterum excipiendi nobis fuerunt, idem illud ampullatum dicendi genus subito apparet. E. c. Marci c. 18. 1. „Cum igitur in amore omnium imperasset at- „que ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut „cujusque aetas sinebat, et diceretur et amaretur, octavo „decimo anno imperii sui, sexagensimo et primo vitae, diem „ultimum clausit.... Hic sane vir tantus et talis ac diis „vita et morte conjunctus filium Commodum dereliquit; qui, „si felix fuisset, filium non reliquisset. Et parum sane fuit „quod illi honores divinos omnis aetas, omnis sexus, omnis „conditio ac dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus judi-

1) Cf. Wölfflin l. l. p. 529—538 et p. 517 sq.

„catus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui „per fortunam vel potuit habere vel debuit."

Apparet auctorem hic multo magis quid animo sentiat cogitetque prodere quam narrare historiam [1]).

Vitarum exordia si comparentur, invenias inde a Macrino omnes fere Augustorum vitas a prooemio rhetorico initium sumere. In iis quae praecedunt, *Augustorum* quidem vitae omnes statim ab imperatoris origine tradenda exordiuntur; prooemium habent Aelius, L. Verus, Pesc. Niger, Geta, omnes igitur *principes minores*, Avidio Cassio tantum et Clodio Albino exceptis, quorum prioris vita sola Vulcatio Gallicano tribuitur, alterius in serie Diocletiana quidem ponitur, missa tamen est non ad Diocletianum sed ad Constantinum. In serie autem Constantiniana vitae Augustorum et Caesarum ita inter se conjunguntur ut solis prioribus aliquid praemittatur (cf. Max. c. 1. et Gord. c. 1.).

Similiter omnes fere Caesares primae seriei habent epilogum hujusmodi: „haec sunt quae de Vero Caesare mandanda litteris fuerunt e. q. s." quo omnes Augustorum vitae carent.

Jam si quaerimus ad quem quaeque vita missa sit, dudum viri docti perspexerunt verba illa „ad Diocletianum Augustum" „ad Constantinum Augustum" in optimis codicibus manu quadam tertia esse addita; ipsius antiquissimi librarii esse unam et solam inscriptionem, quae vitam Aelii Veri praecedit: „Diocletiano Augusto Aelius Spartianus suus sal." Quid autem hac de re ipsae vitae nos docent? Novum miraculum! In omnibus vitis secundariis seriei Dio-

1) Iisdem locis de se garrientem audire licet: Sev. c. 20 „legisse me memini".... „reputanti mihi"; c. 21 „ut ordiamur a Romulo"; Carac. c. 8: „Scio.... sed ego malui" etc.

cletianae aliquando imperator compellatur, in vitis Augustorum numquam, nisi iterum Marci c. 19 et Severi c. 20.

Quae quum ita sint, ex vitarum diversa ad historiam utilitate, ex diverso dicendi genere, ex diversa omnino procedendi ratione efficimus non unum sed plures fuisse Scriptores H. A. Qui enim Dessavio credere velit totum corpus H. A. unius auctoris opus esse, explicet tandem cur mendacissimus ille in vita Hadriani vere historiam scripserit, mox nugis Aelianis suum opus ipse corruperit; cur in prima serie alio stilo Augustorum, alio Caesarum vitas conscripserit; cur Caesarum omnes, ex Augustorum duas tantum ad imperatorem missas esse finxerit. Qui subscriptionibus fisus Hadrianum et Aelium ejusdem Spartiani esse putat, videat iterum quomodo hoc explicet quod auctor vitam primariam sine prooemio, vel appellatione imperatoris ad quem opus suum mittere se fingit, annalium dicendi genere conscripsit, vitam vero secundariam a prooemio et imperatoris appellatione inchoavit, stiloque rhetorico absolvit.

Hoc quoque ex iis quae hucusque disputavimus constare videtur, partes illas in vita Marci, Severi et Caracalli, quas toties excipere coacti fuimus, non eidem tribuendas esse qui primam Augustorum seriem conscripsit. Quomodo enim fieri potuit ut is, qui in vitis Hadriani et Pii numquam imperatorem, allocutus fuerat, qui in vitae Marci maiori parte nullo indicio prodiderat loqui se cum Diocletiano, subito c. 19 eum compellaret, nec iterum in illa vita, quae tamen capita 29 numerat? Itemque cur tandem in Severi capite demum 20 potius quam ipso operis initio imperatorem allocutus est? Severi hoc caput 20 sq. non ab eo qui historicum dicendi genus, sed qui rhetoricum sectatur, profectum esse, com-

paratis inter se locutionibus, demonstravit Wölfflin: qui quum in altero demum opusculo de vitis Capitolino tributis acturus sit, nondum scimus quid de cc. 18 et 19 vitae Marci sentiat. Haud tamen dubito quin illa eidem ac Severi c. 20 sq. adscripturus sit: de viri docti sententia, non alium quam Vopiscum alteri vitarum editioni has partes inseruisse, postea agendum erit.

Quum vero eo ipso quod Scriptores plures esse deprehenduntur, tota Dessavii sententia jaceat, nobis jam opus non est, quot fuerint quidve cujusque sit proprium laboriosa investigatione accuratius indagare [1]). Quod autem ex hac praevia disputatione vero proximum esse jam apparet „S. H. A. ea, qua ipsi asseverent, aetate scripsisse," id novis argumentis confirmare et evincere satius esse ducimus.

1) Animi causa tamen unam alteramve rem adjicere liceat qua singuli etiam auctores inter se differant. Aliquantulo Vopisco tumidior est Pollio, ceteroquin illi omnium plurimum inter sese conveniunt. Jam Pollio duodecies utitur particula ‚*siquidem*' in 75 paginis editionis Teubn., Vopiscus vero, cujus opus 100 paginas occupat, bis tantum. (Pollio: Gall. 14. 10; 18. 5; 19. 6; 30 tyr. 3. 6; 26. 1; 27. 2; 30. 1 et 3; Claud. 1. 2; 3. 7; 9. 2; 13. 8. Vopiscus: Tac. 18. 4 et Probus 20. 2). Ne quis autem dicat Vopiscum facilius hac conjunctione abstinuisse propter magnum epistularum numerum, primus locus in ipsa quadam epistula legitur.

Vocula ‚*ubi*' tamquam conjunctione temporali in vita Aureliani (36 paginis) bis utitur Vopiscus in locutione „ubi comperit": Aurel. 5. 5 et 37. 6. Ceteris locis vim locativam habet. In vita vero Maximinorum (paginis 27) undecies hanc conjunctionem ita legimus: 1. 7, ubi ad imperium venit; 3. 2, ubi intellexit; 4. 6, ubi comperit; 4. 8, ubi vidit; 5. 3, ubi comperit; 15. 2, ubi haec gesta sunt; 17. 1, ubi accepit; 20. 1, ubi Romam nuntiata sunt; 20. 7, ubi accepit; 21. 3, ubi primum castra posuit; 32. 6, ubi vidit. Haec autem discrimina, quo leviora sunt eo plus ad probandum valent, cum multo difficilius de industria aut assumantur aut relinquantur si quando falsarius fraudandi causa, modo unum, modo alterum dicendi genus assimulare conetur.

III.

Ex ipsis erroribus perlucet veritas.

Cum in vitis usque ad Maximum et Balbinum appelletur aut Diocletianus aut Constantinus, Pollio autem se Constantio Caesare, eodem Augusto Vopiscus se scribere aperte dicant, jam videamus utrum haec aetas „Diocletiano-Constantiniana" cum rerum quas tradant indole congruat, necne.

Et primum quidem cum Mommseno quaeramus de modo quo de Christianis loqui soleant. In serie prima unus locus nominandus est, Sev. 17. 1. „In itinere Palaestinis plurima „jura fundavit. Judaeos fieri sub gravi poena vetuit. Idem „etiam de Christianis sanxit." Seeck etiam affert Pert. cap. 13: „Siquidem omnes qui libere fabulas conferebant male „Pertinacem loquebantur, *christologum* eum appellantes, qui „bene loqueretur et male faceret". Haec tamen minime huc pertinere docet Epitome c. XVIII, ubi idem Pertinax dicitur „blandus magis quam beneficus; unde eum Graeco nomine χρηστολόγον appellavere." In Pertinacis quoque vita non *christologum* sed *chrestologum* legendum esse jam Salmasius perspexerat.

Pollio tantummodo nominat Mosen; (Claud. cap. 2.) [1]).

„Vopiscus behandelt das Christenthum wie das Judenthum geringschätsig als insbesondere in Aegypten endemisches Uebel" [2]). Nam Saturn. cap. 7. dicit „sunt enim Aegyptii.... „Christiani, Samaritae et quibus praesentia semper tempora „cum enormi libertate displiceant". Praecipue vero epistula illa, quam ab Hadriano imperatore scriptam esse affirmat [3]), digna est quae hoc loco nominetur.

In serie Constantiniana memorantur Hel. 3. 5: „Dicebat praeterea Judaeorum et Samaritanorum religiones et Christia„nam devotionem illuc transferendam". In vita Alex. Sev. de iis mentio injicitur „mit Respect und bereits mit Apprehension": cap. 22. „Judaeis privilegia reservavit. Christianos „esse passus est", cap. 29. „Christum, Abraham et Orpheum „et hujuscemodi ceteros habebat ac majorum effigies", cap. 43. „Christo templum facere voluit eumque inter deos reci„pere. Quod et Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in „omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quae „hodieque idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadri„ani, quae ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est „ab is, qui consulentes sacra reppererant omnes Christianos „futuros, si id fecisset, et templa reliqua deserenda", cap. 45. „ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare....

1) „....addentes Mosen solum, Dei ut Judaeorum libri loquuntur familiarem, centum viginti quinque annos vixisse; qui quum quereretur quod juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine neminem plus esse victurum."

2) Mommsen, l. l.

3) „Nemo illic archisynagogus Judaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter non mathematicus, non haruspex non aliptes", e. q. s. Saturn. cap. 8.

„nomina eorum propronebat hortans populum ut si quis „quid haberet criminis, probaret.... dicebatque grave esse, „cum id Christiani et Judaei facerent in praedicandis sacer„dotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum „rectoribus, quibus et fortunae hominum committerentur et „capita". cap. 49. „Cum Christiani quendam locum qui pu„blicus fuerat occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum „deberi, rescripsit melius esse ut quemadmodumcunque illic „*deus* colatur quam popinariis dedatur". cap. 51. .... „cla„mabat.... saepius quod a quibusdam sive Judaeis sive „Christianis audierat.... 'quod tibi fieri non vis, alteri ne „feceris' ".

Quis, qui haec inter se contulerit, non statim videt quantum intersit inter Vopiscum, qui Hadriani illam odii plenam epistulam alieno loco inseruerit (Saturn. cap. 8), et eum qui vitam Alexandri Severi scripserit. Nimirum hic post annum 324, cum Constantinus Magnus universum imperium solus obtineret, opusculum suum edidit. Negare tamen nolim illam differentiam partim etiam ortam esse ex favore quo Alex. Sev. Christianos revera amplexus est. Narrat enim Eusebius Mammeam matrem Alexandri — erga quam „semper unice pius [1])" fuit — „piam imprimis ac religiosam feminam", Originem quem propter divinarum scientiarum famam cognoscere vellet, accersisse [2]); Maximinum vero propter odium Alexandri, quod in ejus familia plerique essent Christiani, Christianam religionem esse persecutum [3]).

Validissimum argumentum ex locis allatis alio modo hauriri

1) Eutrop. VIII. 23.
2) H. E. VI. c. 21.
3) Ibid. c. 28.

potest. Etenim ubicunque de Christianis mentio fit, fere semper Judaei quoque una nominantur. Unde patet auctores sibi Christianos et Judaeos quodammodo conjunctos finxisse veluti ejusdem religionis sectas varias, et „es ist dabei höchst charakteristisch dasz so wohl bei Vopiscus als auch in der Diocletianischen und Constantinischen Reihe die Juden und Samaritaner den Christen in der Regel vorangestelt werden (Sev. 17. 1. Hel. 3. 5; Alex. 22. 4; 45. 7; 51. 7) [1])". Ex Judaeis primos Christianos processisse apud Tacitum suum legere poterant [2]), et Dio Cassius, qui scripsit post annum 219 etiam tunc narrat: „Φλάβιον Κλήμεντα .... κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός .... ἐπήχθη ἔγκλημα ἀθεότητος ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν [3]). Postea etiam Origines non otiosum duxit refutare Celsum qui centum annis ante in Christianos et Judaeos conjunctim invehi solebat; nondum igitur in oblivionem abierant quae ille de Christianorum cum Judaeis necessitudine commentus fuerat. Nil itaque mirandum Diocletiani vel etiam Constantini aetate eos qui deos publicos et patrios colerent, utramque religionem eadem, ut dicunt, mensura metitos esse. Saeculo vero quinto, cum orbis Romani pars major Christianam religionem esset amplexa, Judaeorum exiguus numerus superesset, ne pagani quidem utrosque ita permiscere poterant ut ubi alterum nomen pronuntiarent, alterum quoque veluti ultro excideret. Idque eo vel minus quod Julianus tantum eorum discrimen fecerat ut alteris faveret, alteros insectaretur. Numquam sane ceteri illius aetatis scriptores pagani eos conjungunt, nec

1) Seeck, l. l.
2) Ann. XV, cap. 44; cf. Suet. Claud. c. 25.
3) LXXII. 14, cf. XXXVII. 17.

Symmachus, nec vero Ammianus (330—400), qui quamvis narret voluisse Julianum antiquum deorum cultum restituere (XXII. 5), non tamen propter Christianorum odium eum templum Hierosolymitanum instaurasse putat, sed quod imperii sui memoriam magnitudine operum propagare gestiret (XXIII. 1); nec tandem Zosimus qui Christianis infestissimus, omnia reipublicae mala inde orta esse dictitat, quod antiqui dii essent deserti. Verum quidem est hunc aliquanto postea vixisse (450—500), sed longe verisimillimum videtur Christianorum ex Judaeis originem jam inter 325 et 400 in oblivionem abiisse, cum res christiana ex Catacumbarum sepulcris ad Palatii fastigium ascendisset.

Itaque constans haec Christianorum cum Judaeis conjunctio in H. A. facile intelligitur si conscripta sit ineunte saeculo IV, in saeculi V i falsario vehementer miranda esset.

Alterum argumentorum genus hausit Mommsen ex errore illo quo S. H. A. suae aetatis instituta magistratusque in aliud tempus ingesserunt. Maxima hic prudentia opus est, siquidem saepissime dignoscere non valemus quid Diocletianus, quid Constantinus, quid eorum successores in republica mutaverint, et multa ex illorum institutis etiam diu postea permanserunt. Deinde talia non nisi terminum „post quem" indicant; non enim illa tantum quae suis temporibus aliquis scriptor videt, sed ea omnia quae umquam antea fuerunt in alienam aetatem invehere potest. Ut exemplo utar, ex eo quod in vita Caracalli „protectores" nominantur, quos Philippus primus instituit, inferre utique licet auctorem non ante Philippum vixisse, minime vero sequitur fuisse illum Philippo aequalem. Hoc quoque concedo Seeckio, hujusmodi errores facilius explicari in institutis quae per longius jam tempus viguerunt; non est tamen quod miremur scriptores tam negligentes quam sunt S. H. A. vel in magis recentibus hoc modo peccasse.

Quum autem in H. A. saepissime Diocletiani, numquam Constantini nova instituta „anachronistice" memorentur, multo verisimilius est, eos ea qua dicunt aetate quam saeculo V. scripsisse. Nulla enim ratio proferri potest cur auctor in ceteris stolide negligens in hoc uno tam diligens fuerit, ut numquam ea, quae a Constantino in republica mutata sunt, ad superiorem aetatem transferret. Si enim saec. V scripsisset sat magnum temporis spatium praeteriisset ut hujusmodi peccata intelligeremus. Ipse Seeck id concedere cogitur: ideoque aliam causam v. d. excogitavit cur Dessavii falsarius ab iis tam religiose abstinuerit: „Bei Zosimus finden wir eine Quelle ausgeschrieben in der die Neuerungen Constantins im Zusammenhange dargestellt waren,.... benutzte also unsere Scribent dasselbes Buch.... so konnte er gewisse nachconstantinische Anachronismen leicht vermeiden" [1]). Significat ni fallor, Zos. II, 30 sq. ubi recensentur Constantinopolis aedificata; — imperium divisum in quatuor praefecturas, — praefecti praetorio munus discerptum hac ratione ut curam annonae ipse retineret, res autem militares magistro militiae obvenirent, — exercitus a finibus remoti, — chrysargyrum follisque exacta. Nihil vero ibi legimus de „comitibus", nihil de mutatione facta in rebus nummariis; etiamsi igitur eodem quo Zosimus fonte falsarius usus sit, inde tamen discere non potuit, de „comitibus" deque „solido"

---

1) Seeck, l.l. pag. 614.

sibi esse tacendum: quid quod magistri militiae munus a Constantino institutum esse ibi dicitur; mox autem ipse Seeck probare conatur magistrum illum a scriptore H. A. in superiorem aetatem esse invectum?! Non multum igitur illi profuit praeclarus ille liber!

Iam ex elencho quem collegit Mommsen ea excerpam quae sunt majoris momenti. Et primum quidem in nominibus regionum agnoscit nonnulla vestigia divisionis illius, qua Diocletianus imperium in dioeceses et provincias discerpsit; e. c. Syria dicitur Oriens Valer. 3. 2; Gall. 2. 5; 30 Tyr. 12. 12; 29. 1; Aur. 13. 1; Haemimontus Rhodope Europa nominantur Claud. 11. 3; Aur. 17. 2; 31. 3; 32. 2; probe autem notandum et summi momenti est utrumque apud Pollionem tantum et Vopiscum occurrere, qui post annum 300 scripserunt. Byzantium saepius, numquam Constantinopolis nominatur; Tripolitana provincia a Diocletiano constituta est, Tripolis vero legitur Sev. 18. 3. Correcturam Italiae ante annum 290 non fuisse divisam novit Pollio, qui Tetricum correctorem Italiae dicit (30 Tyr. 24. 5), ignorat autem aut negligit Vopiscus, qui illi dat correcturam Lucaniae (Aurel. 39. 1). Magistratus civiles et militares multos nominant S. H. A. qui numquam fuerunt; aetatem vero Diocletiani produnt in modo quo de tribunis, ducibus, judicibus loquuntur.

Diocl.[1]) enim legiones veteres in plures novas divisit, singulisque tribunum praeposuit. Qui *totum* exercitum habebat dicebatur „dux", addito nomine regionis ubi agebat, ut „dux limitis provinciae Valeriae;" unde haec vox significationem magis definitam nacta est; *tribunus* autem dici coeptus est, quicunque alicui exercitus *parti* praeerat. Jamvero in vitis antiquissimis nullum hujus rei vestigium apparet; in Pollionis Claud. cap. 13 nominatur tribunus Assyriorum, Trig. Tyr. cap. 32 tribunus Maurorum; in Vopisci Aurel. cap. 13 Scythici limitis dux et dux Illiriciani limitis et Thracici.

1) Cf. Mommsen, Römisches Militärwesen seit Diocl. Hermes 24. p. 196 sqq.

Ut ducibus imperii limites committi possent, in provinciis potestas civilis et imperium militare, quae antea penes eundem fuerant, separabantur; cumque is qui civili potestate gaudebat praeses vel judex diceretur, significatio nominis quod est „judex", immutata est. Atqui *prima serie excepta* in H. A. vitis nonnumquam de hujusmodi judicibus est sermo: e. c. Al. Sev. cap. 42. Contra „scholae", „palatini", „comitatenses", „comites", „juniores et seniores", „magister officiorum" (qui posteriori tempore singulorum officiorum magistris praeerat), aliaque id genus vocabula nusquam in H. A. ea significatione pollent quam Constantini demum aetate nacta sunt.

In re nummaria „ist vor allen bemerkenswerth," ita Mommsen, „dass das so oft genannte Goldstück immer „aureus" heisst, und die benennung „solidus" nur in einer Verbindung auftritt wo auch nach dem älteren Sprachgebrauch von dem Ganzstück gesprochen werden dürfte." cf. Alex. cap. 39. 8. 10. Post Constantinum vero „ist die Benennung „solidus" wie die officielle so auch die gebräuchliche." Revera pro miraculo esset, si vitae nostrae essent conscriptae saeculo quinto, auctorem ab hac voce abstinuisse! Quod dicitur Hel. cap. 24 „centum sestertiis, hoc est argenti libris triginta," id Mommsen nonnisi Diocletiano regnante, Seeck

nonnisi post Theodosium contendit recte dici potuisse. Cum tamen in ratione conficienda alter sestertium pro denario valuisse putet, alter pro ejus dimidio „was bei unserer Unkenntniss mindestens ebenso wahrscheinlich ist" [1]), satis apparet quam infirmo fundamento totum hoc argumentum nitatur.

Idem v. d. Seeck deprehendisse sibi videtur in H. A. vestigia praefecturae praetorio ita imminutae, ut magister militiae res militares administraret, praefectus praetorio annonam tantum exercitibus praeberet; quae hujus muneris divisio a Constantino originem duxit. Reapse militum magisterium memoratur Aurel. cap. 11; cap. 17; cap. 18; Prob. cap. 11; aliquoties etiam cura commeatuum enixe praefecto praetorio commendatur (Trig. tyr. cap. 12; Gord. cap. 28; Av. Cass. cap. 5). Agedum nostris oculis utamur.

Aurel. c. 11 epistula Valeriani exhibetur qua Aurelianum vicarium creat Ulpii Criniti, qui non praefectus praetorio, sed dux Illiriciani limitis et Thracici erat [2]); dein ita pergit imperator „in tua erit potestate militiae magisterium." Hoc igitur magisterium, quod *ducis vicarius* suscipit, toto coelo differt a munere illius qui postea „magister militiae" est dictus et totius imperii res militares administrabat. Eodem plane modo explicanda sunt Claudii verba in Aur. 17 „tuo magisterio milites uti volo, tuo ductu tribunos," quibus verbis Aureliano bellum contra Gothos demandatur. Magistros equitum qui Aur. cap. 18 nominantur, minori quodam officio fungi verba ipsa docent: „equites.... sub Claudio

1) Seeck, l.l. pag. 630.
2) Cf. Aurel. cap. 13.

Aurelianus gubernavit, quum offensam magistri eorum incurrissent." Probi cap. 11 denique ipse imperator „magister militiae" dicitur. Loci igitur allati a Seeck hoc tantum probant, „dasz der Ausdruck auch militärisch bezogen werden konnte; aber (sie) führen nirgends auf die amtliche Competenz wie sie später bestanden hat." Ostendat igitur Seeck in H. A. hanc vocem ea definita significatione gaudere quam a Constantino accepit.

Qui vero sunt illi qui praefecti dicuntur Aurel. cap. 11, „commeatus a praefectis necessarius in omnibus castris est constitutus?" Ejusdem vitae scriptor mox cap. 13 „praefectum annonae Orientis" creat, quod munus numquam fuit; quidni Illirici quoque et Thracici limitis praefectos annonae fingere potuerit? Fortasse tamen hoc loco, sicuti Trig. Tyr. cap. 12 intelligendi sunt praefecti praetorio. Nec quidquam obstat. Zosimus enim II c. 33 itentidem dicit Constantinum quam imprudentissime fecisse quod praefecti praetorio munus diviserit; si enim qui annonam exercitui praebeat, idem militarem disciplinam tueatur, multo facilius milites ad modestiam cogi. Unde apparet jam ante Constantinum curam annonae exercitibus praebendae praefectis praetorio demandatam fuisse. Immo id eorum praecipuum munus fuisse videtur; nam ad disciplinam tuendam, cum belli domique imperatori adesse solerent, in aliis saltem provinciis nil nisi per exercituum duces valebant. Ideo recte Mommsen: „Die in den Provinzen kantonnirenden Truppen sind schwerlich je förmlich an seine Befehle gewiesen worden" [1]). Quod asseverat Seeck: Pollio et auctor Avidii Cassii „trennen

1) Röm. Staatsr., II, 1064.

diese (curam annonae) ausdrücklich von dem Commando," id loci allati nequaquam docent. Nam Trig. Tyr. cap. 12 „tu tantum *praefecti* mihi *studium* et *annonam* in necessariis locis praebe," ea possunt quidem explicari per ἓν διὰ δυοῖν ut studium praefecti sit praebere annonam; opus tamen non est; „studium enim praefecti" omnia ejus munera complectitur, cura annonae, quod prae ceteris providenda esset, praecipue et nominatim commendatur. Verum quidem est quod ait Seeck: „Auch das Lob des Praefecten Timositheus (Gord. cap. 28) hebt besonders seine Fürsorge für die Truppenverpflegung hervor," at vide quae mox sequantur: „idem quum esset praefectus arma militum semper „inspexit, nullum senem militare passus est, nullum puerum „annonas accipere, castra omnia et fossata eorum circumi-„bat, noctibus etiam plerumque vigilias frequentabat.... „tribuni eum et duces usque adeo timuerunt et amarunt, ut „neque vellent peccare, neque ulla in re peccarent." Haec ni fallor spectant modestiam militum, et munus praefecti, quale Gordiani tempore erat. Tandem Av. Cass. cap. 5, Marcus Aurelius scribit praefecto suo: securus sit de disciplina legionum Syriacarum, Cassium enim, hominem Cassianae severitatis et disciplinae illis praeesse, „tu tantum fac adsint legionibus abunde commeatus". Tantum vero abest ut hic locus contra nos faciat, ut etiam confirmet sententiam nostram. Scriptor enim hujus epistulae probe novisse videtur praefecti praetorio esse disciplinam tueri; nam prius docet quomodo huic sit provisum, dein de cura annonae agit.

Ut paucis quae hoc capite disputavimus complectamur: ipsi errores ex neglectis temporum rationibus qui in H. A.

irrepserunt, ostendunt eam aetate Diocletiano-Constantiniana conscriptam esse. Portenti enim instar esset Dessavii falsarium in ceteris omnibus negligentissimum, quique instituta Diocletiani saepissime in tempora antiquiora invexerit, ab iis tamen omnibus quae post Jovium intra centum annorum spatium novam formam induerunt, incredibili et sagacitate et diligentia abstinuisse.

IV.

Adversariorum Achilles.

Jam veniendum ad eam „fraudis probationem" qua maxime nititur Dessavius, quamque Mommseno etiam aliqua ex parte probavit, ad rationem dico quae S. H. A. inter et Eutropium Victoremque intercedit.

Dudum viri docti perspexerant H. A. Marci cc. 16 et 17 cum Eutropii l. VIII, c. 11 sqq., itemque Severi cc. 17—19 cum Victoris Caesarum c. XX majorem habere similitudinem quam quae casu orta esse posset. Primo igitur dixerunt, quod obvium erat, Eutropium et Victorem sua ex H. A. repetiisse [1]). Quod quum verum non esse agnovissent, conjectura collegerunt communem quendam exstitisse fontem (Annales imperatorios, „Kaiserchronik") e quo cum S. H. A. tum Eutropius et Victor hauserint [2]).

---

1) Cf. Teuffel, Gesch. d. Röm. Lit. § 415. 2.

2) Cf. Enmann, Eine verlorene Gesch. d. Röm. Kaiser. Philol. suppl. Bd. IV, S. 359 sqq., qui quidquid ad hanc quaestionem spectat summa cura diligentiaque collegit.

Tandem Dessavius illa H. A. capita ex Eutropio et Victore desumpta esse contendit; ergo furem istum vixisse post annum 360 et fraudandi causa opus suum Diocletiano atque Constantino dedicasse. Quod ut efficiat in hunc modum disserit: ex Victoris et Eutropii fontibus solus nobis superest Suetonius; non enim ipsum Livium sed aliquod ejus summarium ab Eutropio usurpatum est. Jam vero si Eutropium et Victorem sive inter se, sive cum Suetonio comparamus, videmus numquam iis totas sententias, non saepe singulas locutiones communes esse; facta plerumque aliter ordinata; suo quemque modo ubique uti. Unde non sine quadam veri specie infert Eutropium et Victorem liberaliter suis auctoribus usos esse. Si igitur Eutropius vitam Marci, Victor vitam Severi ex iisdem quibus S. H. A. annalibus imperatoriis deprompsisse dicantur, hic a consueto agendi modo prorsus deflexisse putandi sint; in his enim vitis non verba tantum sed integras ferme sententias cum H. A. communes habent; quod cum ipsi haud credibile videatur, Victoris et Eutropii scripta a S. H. A. adhibita esse statuit.

Haec tamen speciosa magis quam vera sunt. Klebs, qui egregie ea de re disputavit [1]) acute monet aliud esse „wenn ein ausführliches Werk auf wenige Kapitel zusammen gedrängt wird", aliud „wenn ein Knapper Bericht wie die Kaiserchronik .... fast seinem ganzen Inhalt nach übernommen wird". Quamquam autem Eutropius in illis vitis quas cum Suetonio communes habet non illo tantum sed altero praeterea fonte usus est [2]), ejus tamen vitae vix vigesimam

---

1) l. l. pag. 459.

2) Cf. Enmann, l. l. p. 409 sqq.

Suetonii partem magnitudine adaequant. Si ergo in Suetonio contrahendo liberius egit, inde non licet efficere eodem illum modo etiam Annalibus imperatoriis usum esse, ubi facta nuda paucis verbis exposita repererit, neque multo plura quam quae ipse narrare voluerit. Imo quum identidem eum Suetonii locutiones, et sententiarum structuras servasse concedat Dessavius, quid jam miramur ubi brevior quidem fons prostabat ipsas eum sententias transscripsisse? Rem de Eutropio quidem conficiunt loci ex Festo Rufo quos comparat Klebs: Festi c. 22 cum Eutr. IX 2, Festi c. 24 cum Eutr. IX 18 [1]). Hunc quoque Festum olim putarunt viri docti Breviarium suum ex Eutropio compilasse; at „Jacobi (de Festi Breviarii fontibus 1874) explosit opinionem eorum qui integrum librum (Festi) ex Eutropianis consarcinatum esse perperam sane sibi persuaserant" [2]). Jacobi quidem capita saltem 20—25 ex Eutropio hausta esse duxit, Mommsen vero haec quoque ex communi tantum fonte fluxisse demonstravit [3]).

---

1) Festus 22. „isque rediens victor de Perside fraude Philippi .... occisus est. Milites ei tumulum in vicesimo miliario a Circesso castro quod nunc extat aedificaverunt."

Eutr. IX. 2. „rediens haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi .... miles ei tumulum vicesimo miliario a Circesso quod castrum nunc Romanorum est .... aedificavit."

F. 24. „Cochen et Ctesiphontem urbes Persarum nobilissimas cepit. Cum victor totius gentis castra supra Tigridem haberet, vi fulminis ictus interiit."

E. IX. 18. „Cochen et Ctesiphontem urbes notissimas cepit. Et cum castra supra Tigridem haberet, vi divini fulminis periit."

2) Droysen, Prooemium in Eutropii ed. maj. (Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. II) p. XXV.

3) In editione Droyseniana, p. XXVI.

Idem de Victore probat Klebs [1]) conferendo Vict. c. 40 cum Pseudo-Victoris Epit. c. 41. Impedita illa quidem necdum plane soluta est quaestio de Epitome, quae Victoris nomine fertur. Eam a „Caesarum" auctore conscriptam esse nemo jam credit; saepe cum Victore consentit, saepe cum Eutropio, nonnumquam utriusque narrationem conjungit, nonnumquam multa addit quae neque apud Victorem neque apud Eutropium inveniantur; brevi, dixeris illius quoque auctorem ex eodem cum illis fonte hausisse, ex quo modo plura omiserit, modo plura assumpserit. Jam vero cum in cetera Diocletiani et Constantini historia nihil cum Victore commune habeat, initio utriusque capitis 40 res gestae, quamquam aliis verbis narrantur, eodem tamen modo sese excipiunt, nisi quod pro verbis ex Victoris capite 40 infra descriptis epitomator tantum dicit: „eodemque tempore Constantinus Caesar efficitur"; capite dein sequenti totam Constantini vitam inde a juventute repetens, ejus fugam ejusque in

---

1) l. l. pag. 461, (quod ibi legitur Epit. cap. 40, id typothetae errori tribuendum videtur).

Caesares c. 40. „ ... quod tolerare nequiens Constantinus, cujus jam tunc a puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur, fugae commento, quum ad frustrandos insequentes publica jumenta quaqua iter egerat interficeret, in Brittanniam pervenit; nam is a Galerio religionis specie ad vicem obsidis tenebatur. Et forte iisdem diebus ibidem Constantium patrem vitae ultima agebant. Quo mortuo cunctis qui aderant annitentibus, imperium capit."

Epit. c. 41. „Hic (Constantinus) dum juvenculus a Galerio in urbe Roma religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, [atque] ad frustrandos insequentes publica jumenta quaqua iter egerat interfecit et ad patrem in Brittanniam pervenit, et forte iisdem diebus ibidem Constantium fata ultima perurgebant. Quo mortuo cunctis qui aderant annitentibus... imperium capit."

3

Brittanniam adventum iisdem prorsus verbis ac Victor enarrat. Unde constare videtur et Victorem et Eutropium aliquando saltem integras ex fonte suo sententias descripsisse.

Quomodo autem factum est ut hi auctores iisdem annalibus idque interdum satis serviliter usi, ne unam quidem integram sententiam inter se communem habeant? Huic quaestioni responderi potest iisdem verbis quibus aliud quoddam aenigma solvit Klebs: „derselbe ursprungliche Bericht existirte in mehreren Fassungen von verscheidener Ausfuhrlichkeit und mit verschiedenen Zusätzen und Aenderungen" [1]). Ut enim plures auctores ex communi fonte hausisse dicantur, non necesse est ipsum primarium fontem iis omnibus patuisse, nullum eorum ex rivulo defluente bibisse. Jam si Annales imperatorii Diocletiano Augusto primum prodierunt, iis ipsis S. H. A. uti potuerunt; Eutropius vero et Victor post annum 360 scribentes fortasse variis libris usi sunt, qui ex iisdem illis Annalibus fluxerant, inter se tamen dicendi genere nonnihil distabant, quum in altera alter parte ab exemplo suo discessissent. Major tamen lux huic quaestioni affulgebit instituta comparatione inter Eutropii vitam Marci ejusdemque ceterum opus, item inter Victoris Severum ejusque ceteros Caesares. Quis non videt quanto studio et amore hae vitae enarrentur ceterisque latius exponantur? Ab Eutropio quidem Marcus dicitur ‚haud dubie nobilissimus' [2]), ‚vir quem mirari facilius quis quam laudare possit' [3]), plura hujusmodi; Verus ‚vir ingenii parum

1) l. l. pag. 462, cf. 463 in nota 2.
2) Eutrop. lib. VIII, c. 9.
3) Ibid. cap. 11.

civilis, *reverentia tamen fratris* nihil umquam atrox ausus' [1]). Quam copiosis verbis ejus vita enarretur numeri docent: in editione Droyseniana vita Marci et Veri occupat versus 46; Antoninus Pius (qui Marco quattuor annis diutius regnavit) versibus 12, Hadrianus [2]) 16, Commodus 7, Pertinax 3, Julianus 4, Severus 18, Caracalla 6, Macrinus 3, Heliogabalus 5, Alexander 6 versibus absolvuntur.

Victor vero Afer Afrum Severum, patriae suae decus, celebrans in hujus vita enarranda solito diutius immoratur. Ideo hujus scriptoris propria indoles modusque agendi nusquam clarius apparet. Solet ille quidem, quidquid historiam spectat paucis verbis complexus, ad veritates quasdam generales locosque communes deflectere, philosophorum modo rerum gestarum causas nexusque quaerens; in vita autem Severi digressiones hujusmodi vere redundant; quin suam etiam ipsius originem vitaeque instituta ei inserit. At etiam praecisis his declamationibus, (in quibus solis Victor proprium quoddam et singulare dicendi genus sectatur), vita Severi ceteris multo longior est.

Quod igitur in longa illa Marci vita Eutropius, in longa Severi vita Victor cum S. H. A. solito magis ad verbum congruunt, nonne id hoc modo explicare licet, ut soleant quidem Eutropius et Victor fontem suum summatim complecti, quo vero copiosius quid persequi velint eo accuratius auctoris sui verba referant?

Confirmatur haec conjectura illo Victoris loco, quem jam

1) Ibid. cap. 10.
2) Vita Trajani 36 quidem versus habet; nihil tamen refert quia etiam ex rebus narratis Victorem suam illius imperatoris vitam ex alio fonte hausisse patet.

attulimus ex vita Constantini: nam haec quoque fusius enarrata est; confirmatur vita Aureliani: uterque eam latius exposuit, utriusque autem opus in H. A. fere totum recurrere monet ipse Dessavius; confirmatur denique ceteris locis in quibus S. H. A. cum Eutropio et Victore convenire idem v. d. acute vidit. Haec enim omnia ostendunt et S. H. A. et Eutropium et Victorem et Epitomatorem iisdem fere annalibus usos esse, tres posteriores autem plerumque exempli narrationem amputasse quia breviores notitias scribere iis in animo erat.

Quum igitur tantum absit ut Eutropium et Victorem a sententiis describendis abhorruisse constet, ut jam pro certo affirmare possimus nonnumquam eos hanc agendi rationem tenuisse, ruit ipsum fundamentum quo Dessavius nititur.

Ad eundem exitum alia quoque via ducit. Certis enim indiciis probatur illas ipsas Historiae Aug. partes, quas cum Eutropio et Victore tantum non ad verbum communes habet, non ex ipsis his scriptoribus sed ex illorum fonte haustas esse. Quod quidem ex locis bene multis ostendi possit [1]), nusquam vero clarius apparet quam in vita Aureliani cc. 37—40.

Absoluta illius vita morteque enarrata ita pergit Vopiscus: „quia pertinet ad Aurelianum, id quod in historia relatum est, tacere non debui"; sequitur deinde nova quaedam et fere integra vita Aureliani, sed breviter omnia per summa capita complectens. Planissime hic indicat auctor se, antequam operi

1) Verum quidem est quod dicit Mommsen: „die diesen gröszeren Entlehnungen sich anschliessenden gleichartigen Kleineren sind wenig zahlreich und wenig bedeutend" nonnihil tamen haec quoque ad rem nostram facere probat Klebs, ex eo quod Victor iis locis haud raro verbis utatur a quibus abstinere soleat (Klebs, l. l. p. 460.)

suo finem imponat, alium etiam librum evolvere si forte quid omiserit: hanc autem dicit ‚historiam'. Fuitne haec illa quae periit „historia Augusta" quam quaerit Enmann [1])? Videamus et comparemus cum Eutr. et Vict. ea quae ex „historia" illa deprompsit Vopiscus.

Quamquam antea (cc. 18 et 21) seditiones in urbe motas esse narraverat, bellum tamen monetarium se omisisse videt. Id igitur c. 38 ita refert: „Fuit sub Aureliano etiam monetariorum bellum *Felicissimo rationali auctore*; quod acerrime severissimeque *compescuit*, *septem tamen milibus* suorum militum interemptis." — Quod quomodo ab Eutropio et Victore narretur benignissimus lector in paginae calce [2]) inveniet. Ibi videre potest primam et tertiam hujus narrationis partem cum Victore, mediam cum Eutropio convenire. Num igitur dicemus ita historiam Aureliani conglutinasse auctorem ut prius Victorem, dein Eutropium, postremo iterum Victorem describeret? Dederit scilicet Vopiscus exemplum quod post quindecim saecula philologi imitarentur! nostrae enim aetatis viri docti hac ratione ex variis auctoribus singula vocabula quasi expiscari solent ut fontis cujusdam primarii verba distracta denuo colligant.

Eadem res est in cap. 39. Agedum contemplemur Dessavii falsarium hoc opus musivum ex Eutropii, Victoris, Epitomes crustis minutatim conglutinantem. Incipit cum Victore nar-

1) Cf. H. A. Tac. cap. 10.

2)

Eutropius c. 14.	Victor c. 35.
„Hoc imperatore etiam monetarii in urbe rebellaverunt ... et Felicissimo rationali *interfecto*, quos Aur. victos ultima crudelitate *compescuit*."	„Neque secus intra urbem monetae opifices deleti; qui cum *auctore Felicissimo rationali* .... bellum fecerant usque eo grave uti ... *septem fere milia* bellatorum confecerint."

rare de Solis templo constituto deque urbis moenibus ampliatis; eadem haec Eutropius quoque alio tamen ordine refert:

Epit. c. 35. 6. Hic muris validioribus et laxioribus urbem sepsit.

Eutr. IX, 15. Urbem Romam muris firmioribus cinxit. Templum Soli aedificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit.

V. Aur. c. 39, 1. Templum Solis magnificentissimum constituit; muros urbis Romae sic ampliavit, ut quinquaginta prope milia murorum ejus ambitus teneant.

Victor c. 35. Fanum Romae Soli magnificum constituit donariis ornans opulentis. Ac ne umquam quae Gallienum evenerant acciderent, muris urbem quam validissimis, laxiore ambitu circumsepsit.

Tum pauca quaedam ab Eutropio omissa eodem quo Victor ordine refert, mutatis tamen vocibus, ut ea dilucidiora faciat suamque eruditionem ostentet:

Victor 35. 7. (simulque usus porcinae carnis .... prospectavit Cf. V. Aur. c. 35.)
.... deletaeque fiscales et quadruplatorum .... calumniae, consumtis igni tabulis .... atque ad Graeciae morem decreta abolitione, inter quae avaritiae peculatum, provinciarum praedatores, contra morem militarium, quorum e numero erat, immane quantum insectabatur.

V. Aur. 39. 3. Idem quadruplatores ac delatores ingenti severitate persecutus est. Tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Trajani simul jussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium, cujus rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures provinciales repetundarum ac peculatus reos ultra militarem modum est persecutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret.

Ubi vero ad mortem Aureliani pervenit, Victore posito Eutropium suum in manum sumit, in quo nova quaedam reperit:

Eutropii lib. IX, c. 15. Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermisit vastato omni Illyrico et Moesia, desperans eam posse retineri, abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciae in media Moesia collocavit appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit et est in dextra Danubio in mare fluenti, oum antea fuerit in laeva.

V. Aur. 39. 7. Cum vastatum Illyricum ac Moesiam deperditam videret, provinciam Transdanuvinam Daciam a Trajano constitutam sublato exercitu et provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri, abductosque ex ea populos in Moesia conlocavit appellavitque suam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit.

Jamjam depositurus librum mature videt se aliquid omisisse atque in extremo capitis quasi angulo haec addit, quibus (mirum!) Epitomator quoque in extremo capite, Eutropius vero in media Aureliani vita locum dederat:

Epitome c. 35.
Fuit saevus et sanguinarius et trux omni tempore, etiam filii sororis interfector.

Eutropii libri IX c. 14. Plurimos nobiles capite damnavit. Saevus et sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis imperator. Trux omni tempore, etiam filii sororis interfector, disciplinae tamen corrector.

V. Aur. c. 39. 8.
Dicitur praeterea hujus fuisse crudelitatis, ut plerisque senatoribus simulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere. Addunt nonnulli filium sororis, non filiam, ab eodem interfectum, plerique autem etiam filium sororis.

Tandem iterum ad Victorem se convertit, quem vitae Aureliani historiam interregni subjicere videt. Ergo, quamquam in vita Taciti idem longe lateque expositurus est, id ne hoc quidem loco silentio praetermittendum esse ducit: cf. cc. 40 et 41.

En origo capitum 39, 40, 41.

Sed jocorum satis est! Vopiscus vel quicunque tandem illam Aureliani vitam conscripsit, eosdem annales adhibuit ex quibus Victor quoque et Eutropius et auctor Epitomes sua deprompserunt. Imo etiamsi Honorii aetate vixisset, ne tunc quidem ex tot fragmentis centonem consuisset, cum multo minore labore fontem ipsum in suos usus convertere posset. Vix enim credibile est librum post annum 360 a duobus auctoribus lectitatum, anno 400 prorsus evanuisse.

Unum tamen est quod scrupulum injicere possit: narratio de Solis templo. Quum enim et Victor et Eutropius aedificatum illud donisque opulentis ornatum esse simul referant, Vopiscus vero haec duo distrahat, dixerit quis id ei accidisse quod a Victore ad Eutropium reversus, nescio quid somnians, in mediam sententiam inciderit. Cui explicationi quodam modo favet, quod cum Victore dicit „templum *constituit*", cum Eutropio „multum auri gemmarumque *constituit*." Credat Judaeus Apella! Dicamus quod obvium est, Vopiscum in Annalibus imperatoriis haec duo diversis locis scripta invenisse. Si enim vere annales fuerunt per singulos annos facta digerentes, ad alium certe annum notatum erat templum aedificari coeptum esse, ad alium annum templum dedicatum et „infinito auri gemmarumque," donatum esse. Eutropium et Victorem haec duo conjunxisse non est quod miremur; quis vero mortalium tam horrido est ingenio, ut

haec, si conjuncta invenerit, alterum ab altero data opera distrahat? [1])

Jam consideremus ipsam Severi vitam, quae in H. A. Spartiano tribuitur sed, cujus partem haud exiguam S. H. A. a Victore mutuatum esse putat Dessavius.

Post totam Severi vitam ab ipsa origine longe lateque expositam, Spartianus c. 17 hisce verbis: „et quoniam longum est minora persequi, hujus magnifica illa," brevem conspectum eorum, quae *imperator* gessit, exorditur; atque haec est ea pars, quae propius ad Victoris c. XX accedit. Jam statim quaerere liceat, cur Dessavii falsarius hoc loco ab Eutropio suo (quippe quem in vita Marci adhibuisse dicatur) ad Victorem aberraverit? Inter Eutropium enim et Victorem hoc tantum interest, quod Eutropius (sicut ipse Spartianus) concisius, Victor copiosius Severi vitam narrat. Cum igitur in Eutropio eam, quam ipse quoque exhibere voluit, per summa capita enumerationem jam paratam inveniret, cur quaeso maluit singula facta et dicta ex longis Victoris decla-

---

1) Haec eadem Aureliani vita duo praeterea confirmat, quae alii aliunde jam ostenderunt: primum, Eutropium multo artius quam Victorem cum Vopisco, ideoque cum communi omnium exemplo cohaerere; alterum, quam vera sint verba Klebsii jam allata: „derselbe ursprüngliche Bericht existirte in mehreren Fassungen von verschiedener Ausführlichkeit und mit verschiedene Zusätzen und Aenderungen." Nam etiam ubi Vopiscus Aureliani vitam fusius exponit, fonte quodam utitur, qui multa cum Annalibus communia habuit. Ita templum solis, ejusque ornamenta etiam memorantur cc. 28 et 35, porcina caro populo distributa refertur c. 35 (cf. Vict. 35, id autem a Vopisco omittitur Aur. c. 39); Aurelianus dicitur severus, truculentus, sanguinarius," „necessarius magis quam bonus, cc. 36 en 37 (cf. Eutr. IX, 14); tandem c. 21 „His actis cum videret posse fieri ut aliquid tale iterum, *quale sub Gallieno evenerat* proveniret, adhibito consilio senatus muros urbis dilatavit," quae mire conveniunt cum Victoris verbis p. 38 descriptis.

mationibus quasi hamo expiscari? Et o praeclarum piscatorem, qui singula quaeque ad historiam pertinentia peritissime excerpserit [1]), ex magna vero verborum farragine qua haec obruta jacent ne unum quidem vocabulum admiserit! At Eutropio in hac vita usus non est, quod, credo, mutilum exemplar haberet, in quo Severi vita deesset. Id ne joco quidem dicere licet. Nonne enim Spartianus refert Severum mortuum esse senem, divumque appellatum? Atqui haec in Eutropio quidem exstant, in Victore ea frustra quaesieris.

„At Victoris in rebus narrandis *ordinem* sequi maluit." Medius fidius idem prorsus et Eutropii ordo est. Immo fallor; semel ab eo discedit; quod enim Victor post Severi mortem addit, eum humili loco natum gradatim ad imperii fastigium ascendisse, id Eutropius in vitae exordio refert. At eheu! hic Spartianus non magis Victorem quam Eutropium secutus est, quandoquidem illud *ante* Severi obitum memorat.

Accedit quod quaedam Spartianus melius retulit quam Victor, ut illud senatus judicium „illum aut nasci non debuisse aut mori," et verba Severi „tandem sentitis caput imperare non pedes" [2]). Quid quod ea narrat quae nec Victor habet nec Eutropius: Severum in commentariis suis crudelitatis vitium excusasse, oleum eum gratuitum populo

1) Vide e. c. quam pulchre apud Victorem delitescant haec: „at iste delendarum cupidus factionum," „illum aut nasci non debuisse aut mori," „cuncta fui, conducit nihil," etc.

2) Victor habet „sentitisne". Quis autem non videt hic exprobratione opus esse, non interrogatione: id enim jam intelligere se, turba ad pedes imperatoris prostrata satis ostendit.

Romano donavisse, Brittannici illum nomen accepisse, quod nummi titulique confirmant [1]).

Quae quum ita sint, ommino assentiendum esse puto iis quae dicit Klebs: „(das Verhältniss) entspricht genau dem was man zu erwarten hat, wenn zwei untergeordnete Schreiber dieselbe Quelle benutzen. Im wesentlichen vollkommene, vielfach wörtliche Uebereinstimmung, daneben einzelne Abweichungen."

Duo in Severi vita supersunt quae aliquam difficultatem parere possint; sunt autem ea quae narrantur de cognomento „Pertinax" [2]) et de Juliani decretis abolendis.

Quod ad primum attinet fateor me nec Spartianum nec Victorem satis intelligere [3]); quid tandem sibi volunt ista: cog-

1) Eph. Ep. VII, 1207: Imp. Caes. M. Aurelio. Antonino Pio ... Divi Septimi Severi Arab. Adiab. Part. *Brit. Max.* filio.

2) Narratiunculam de milite qui se Severo suppliciter obtulit omittere licet; tam foede enim corrupta est ut ne intelligi quidem possit. Ex variis emendandi conatibus sola placet H. Peteri conjectura qui quaedam excidisse putat. Ex Spartiani verbis „non emollitus tam prudenti dicto interfici eum jussit" inferendum videtur solum militem locutum esse nec quidquam respondisse Severum; itaque hic differt a Victore qui imperatoris responsum addit: „ea perferrem quae tu." Quod quidem responsum cum caedis excusationem contineat ab ipso Victore pro suo studio defendendi et purgandi Severum excogitatum esse videtur. Unde haec narratio si quid probat, nobiscum facit non contra nos: quia tamen locus corruptus est, satius fuerit ab hoc argumento abstinuisse.

3)

Eutr. l. VIII, c. 18.	Spart. V. Sev. c. 17. 6.	Victor. Caes. c. 20. 10
Pertinacem se appellari voluit in honorem ejus Pertinacis, qui a Juliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura saevus.	Denique cognomentum Pertinacis non tam ex sua voluntate, quam ex morum parcimonia videtur habuisse. Nam et infinita multorum caede crudelior habitus, et....	Horum infinita caede crudelior habitus, ac cognomento Pertinax, quamquam ob vitae parcimoniam similem, ipsum magis adscivisse plures putent: nobis mens ad credendum prona acerbitati impositum.

nomen ex parsimonia habuit „*nam* infinita caede crudelior habitus"? Victoris autem verba „*horum* infinita caede" cum praecedentibus non cohaerent. Qui enim sunt illi ad quos respiciat pronomen „horum?" Scilicet Pescennius Niger et Clodius Albinus. Num duorum hominum mors „infinita caedes" dici potest? Uterque demum in ratione reddenda cur Severus dictus sit Pertinax longissime a veritate aberrat. Ipsum enim ex sua voluntate hoc nomen adscivisse docent tituli nummique, in quibus saepissime dicitur Severus Pertinax; docet Eutropius l. c.; docet H. A. in vita Pertinacis cap. 15, „ipse autem Severus amore boni principis a Senatu Pertinacis nomen accepit"; immo docuit ipse Spartianus in hac Severi vita c. 7: „se quoque Pertinacem vocari jussit, quamvis postea id nomen aboleri voluerit, quasi omen". Putet itaque quis eum in c. 17 Victoris errore seductum esse, atque ideo obscura dedisse quod in Victore quoque nonnisi obscure dicta reperisset.

At quamquam uterque scriptor hoc loco obscurus est, non tamen in eadem re obscuri sunt; quamquam uterque falsa narrat, suo tamen uterque modo errat. Quid enim? Victoris verba prima intelligi non possunt quia pronomen „horum" non habet ad quod *apte* referatur; Spartiani sententia ultima sensu cassa est, quia particula „*nam*" cum iis quae praecedunt non cohaeret. Dein Spartianus opponit τὸ „*ex sua voluntate*" τῷ „*ex morum parcimonia*"; apud Victorem parcimoniam causam esse cur ipse Severus hoc nomen adsciverit plures putant; sed ipse illud „acerbitati impositum" credit.

Nequaquam igitur constat S. H. A. hic Victoris libro usum esse. Quodsi quaeras unde hic utriusque error ortus sit, auxilio esse possint verba jam allata ex Severi

cap. 7, „*quamvis postea id nomen aboleri voluerit*". Novimus Severum prius filium sese Pertinacis finxisse, postea M. Aurelii familiae sese adscripsisse [1]). Ad quod et alia multa eum movebant, et fortasse etiam hoc, quod turba quae, Commodi luxum negligentiamque praeferens, Pertinacis parcimoniam et severitatem invidiose in avaritiam et saevitiam traxisset, jam propter easdem virtutes ironice diceret Severum in hisce quoque *vitiis* vere Pertinacem esse. Itaque quum imperator hoc nomen abolere vellet, Pertinacem eum dicere non jam honoris causa perrexerunt, sed quia avarum eum saevumque putabant. Tale quid si in fonte communi exstitit, intelligimus cur Eutropius, priore dumtaxat narrationis parte assumpta, tanto opere a ceteris discrepet atque ita pergat: „parcus admodum, fuit natura saevus". Spartianus vero aut ea tantum de cognomento hoc loco retulit, quae ad posteriorem regni partem pertinerent, aut interim opinionem mutavit. Victor denique verba fontis perperam distribuisse videtur, ut si Eutropii verba ita legeremus: „Pertinacem se appellari voluit parcus admodum; fuit natura saevus" [2]).

---

1) Cf. H. Schiller, Gesch. d. Röm. Kais., I, II, p. 715: „Er selbst hatte sich bei seiner Erhebung in Pannonien zum Sohne des Pertinax gemacht, und dessen Namen geführt; seit dieser Zeit (195) nahm er aber eine nachträgliche Adoption vor, indem er sich zum Sohne dès Marcus und zum Bruder des Commodus erklärte." Cf. Eph. Ep. VII, 1204, Imp. Caesari L. Septimio Severo pio Pertinaci.... Divi Marci Antonini Pii.... filio Divi Commodi fratri.

2) Materiem aliter disposuisse videtur Victor; cum enim Spartianus cum Victore in verbis consentiat, ordinem tamen cum Eutropio communem habet:

Victor.	*Spartianus.*	*Eutropius.*
crudelitas	cognomen	Cognomen
cognomen	ejus causa: voluntas	in honorem Pertinacis
ejus causa: parcimonia	vel parcimonia	parcus
acerbitas	*crudelitas*	*saevus.*

Utique multa hic incerta sunt; unum tamen constare videtur: auctorem vitae Severi non ipso Victore sed ejus fonte usum esse [1]).

Altera difficultas de Juliani decretis cum satis impedita sit, res est paulo altius repetenda.

Imperator Didius Julianus ab Eutropio et Victore non *Didius* sed *Salvius* appellatur. Ab Eutropio dicitur „juris peritissimus"; „nepos Salvii Juliani qui sub divo Hadriano perpetuum composuit edictum". Victor putat imperatorem eundem esse cum nobilissimo illo Romani juris interprete. Uterque narrat pugnasse eum apud pontem Milvium, occisumque esse ab iis *quos Severus misisset.* Addit Eutropius „vixit *mensibus septem* postquam coepit imperare". Haec illi. — Herodianus (II, 41) et Dio Cassius (LXXIII, 17) *Didium* vocant, nec juris peritum eum fuisse sciunt, nec pugnasse ad pontem Milvium; tradunt eum appropinquante Severo a tribuno quodam *jussu senatus* occisum esse; Dio addit: „ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἦρξεν ἡμέρας".

Quid vero H. A.? — *Vita Juliani* (quae in codicibus

1) Quod multas in hunc locum conjecturas attinet, non assentimur Petero qui pro „non tam ... quam" legit „non tam ... atque;" sic enim plane deficit quod particulis „non tam" respondeat. Neque etiam doctissimi viri Cornelissen ingeniosa conjectura „acrimonia" pro „parcimonia" omne punctum tulisse videtur; tollit enim vocem „parcimoniam", qua, cum hoc loco et apud Victorem et apud Eutropium extat, aegre caremus. Aut igitur ipsa vocula „nam" alterius vocis locum occupat, (puta „ille etiam") aut, quod verisimilius videtur, excidit id quod a ceteris quoque cum „parcimonia" conjungitur; si enim legamus „quam ex morum parsimonia («saevitiaque») videtur habuisse, nam et...." nihil jam desideretur. Simili ratione apud Victorem pronomen „horum" quod nemo intelligit, aut aliud nomen expulit (v. c. „ille et"), aut desunt ea quibus et alios a Severo interfectos esse significetur (v. c. „horum («partium») infinita caede").

eidem Spartiano tribuitur qui Severi vitam scripsit) tantum non in omnibus concordat cum Herodiano et Dione, usque ad minuta illa: „*missi a senatu* quorum cura.... occisus est", „imperavit *mensibus duobus diebus quinque*". — In *Severi* autem vita cap. 17 legitur: „Victo et occiso Juliano, praetorias cohortes exauctoravit, Pertinacem.... in deos retulit, Salvii Juliani decreta jussit aboleri. Quod non obtinuit". Jam audi quam verum sit Voltarii dictum: „Donnez-moi six lignes par écrit et je vous ferai pendre". Ex misellis enim versiculis descriptis Dessavius ingeniose magis quam juste hanc accusationem fingit: „Da Victor diesen Kaiser, den er Salvius Julianus nennt, für identisch mit dem Juristen Salvius Julianus hielt, fand er sich veranlasst anzudeuten, dasz die Schriften des Julianus sich trotzdem erhalten hätten; der Verfasser der Vita dem der Kaiser Urenkel des Juristen war, verdreht dies dahin, das Severus mit dem Antrag auf Rescission der Acta des Julianus nicht durchgedrungen sei" [1]).

Huic tamen iniquae sententiae intercedere liceat.

1°. Qui in ea sententia unde arguit Dessavius dicitur *Salvius Julianus* eum eundem esse cum *imperatore Juliano* qui duobus versibus ante memoratur probari non potest. Ceterum, si Dessavii falsarius meminit imperatorem Julianum esse „der Urenkel des Juristen", cur non meminit ei Didium non „Salvium" nomen esse? *Illud* semel dixerat in vita Juliani (cap. 1), *hoc* decies et saepius in vita Juliani scripserat et in hac ipsa vita Severi c. 1 repetierat. — Ruit ergo Dessavii explicatio.

1) l. l. pag. 363. Cf. Mommsen l.l. pag. 279 in nota et Klebs, l.l. pag. 454.

2°. Alia explicatio in promptu est.

Fac in „Annalibus imperatoriis" imperatorem Julianum pro Didio Salvium dictum fuisse, jam omnia plana sunt. Jam intelligimus nomen falsum unde desumpserint Victor et Eutropius; nominis autem similitudine delusus Victor eum tanto facilius cum Salvio juris perito confundere potuit, quod imperator in Annalibus saltem dictus fuisse videtur „juris peritissimus". (Cf. Eutr. l. l.) Imo quid obstat quominus existimemus hanc ipsam pessimam confusionem jam in Annalibus extitisse? Si enim Victor anno 360 sic errare potuit, cur non potuit annalista anni 290 in obscuro imperatore qui anno 193 occisus est? Idque eo magis verisimile est quod idem annalista de Juliano haud pauca narrasse deprehenditur quae fide parum digna sint, si tamen Herodiano et Dioni magis credendum est quam Victori et Eutropio (cf. dicta p. 46). Eutropius vero annalistae errorem facile aliunde corrigere potuit; ne tamen nimis ab exemplo recederet, ex juris interprete „juris peritissimum" fecit.

Quid autem Spartianus? In vita Juliani Annalium errores omnes facile vitavit, quia in hac vita scribenda iis usus non est: cum Herodiano enim et Dione, non cum Victore et Eutropio congruit. — In Severi autem vita eum Annales adhibuisse ex tota quae proxime praecessit disputatione conspicuum est. Cum igitur ab annalista in vita Severi breviter scriptum reperisset „Salvii Juliani decreta jussit aboleri; quod non obtinuit," ea securus descripsit, minime suspicatus annalistam hic de *imperatore Juliano* loqui, sed tantum cogitans de *juris interprete*. Nec adeo mirum ei videri debuit Severum, quo fuisset in Julianum odio, voluisse etiam in proavi libros saevire et *Salvii* decreta abolere.

Vita Marci, qui alter est locus quo maxime nititur Dessavius, in H. A. Capitolino adscribitur. Hujus cc. 16—18 cum Eutropii VIII. 11—15 comparanda sunt.

Mirari liceret nisi hic rariora essent indicia, quae prodant H. A. non ex Eutropio sed ex communi cum eo fonte desumptam esse; ut enim supra monuimus [1]) Eutropius multo pressius quam Victor auctoris sui vestigiis insistit. Non desunt tamen quae a Capitolino aut melius aut copiosius exponantur quam ab Eutropio.

Ipso statim capitis 16 initio — quamquam librariorum culpa factum est, ut verborum sensus obscurus sit — Lucii Veri mores et indolem plenius a Capitolino exhiberi facile agnoscimus. — Notatu autem dignissimum est quod mox, cap. 17, sequitur de bello Marcomannico. Hic enim Capitolinus non tantum, quae Eutropius pessime distraxit, una sententia complexus est, sed etiam aptissime addit Marcum hoc bellum „quanta nulla umquam memoria fuit cum virtute tum etiam felicitate" transegisse. Cum enim in summo belli discrimine pestilentia grassata „multa milia.... militum" interemisset, singulari sane felicitate non minus quam fortitudine opus erat, ut res copiis quasi decimatis ad felicem exitum perduceretur. — Tanti fortasse non est quod in auctionis catalogo quaedam ab Eutropio omissa enumerat Capitolinus, credibile vero non est *sanctius* illud Hadriani *repositorium* ab eo de nihilo fictum esse. — Post eandem auctionem ipsa res postulabat ut emptoribus ornamentis imperatoriis uti liceret, ideoque Capitolinus statim addit: „*tunc* viris clarioribus permisit ut

1) Vide notam ad pag. 41.

eodem cultu quo et ipse.... convivia exhiberent"; Eutropius idem quasi cum auctione minime cohaereret refert: „hic permisit" etc. — Tandem cum consecrationis narratione Klebs comparat Victoris 16. 15 „Denique qui sejuncti in aliis patres ac vulgus soli omnia decrevere templa, columnas, sacerdotes"; quae verba, quamvis corrupta, satis tamen aperte docent de M. Aurelii consecratione insolitum quid litteris traditum fuisse, unde et Eutropii „omnibus annitentibus" et Capitolini „non divisis locis sed in una sede" fluxerint. Atqui Capitolinum propius ad communem fontem accedere apparet ex verbis Victoris „qui *sejuncti* in aliis," collatis cum Capitolini „*non divisis locis*". Praeterea id ante funus factum esse ex Eutropio discere non potuit. Et ne dicas haec discrimina — minuta illa quidem sed discrimina tamen — ex aliis falsarii fontibus vel ex proprio illius ingenio fluxisse, vide quam serviliter auctorem suum imitatus sit: cum cap. 6 Hadrianus dicatur non Marco sed Lucio Vero Faustinam Antonini Pii filiam uxorem destinasse, hic idem Hadrianus Marcum Pio generum eligisse traditur: itaque ne ea quidem quae cum antea dictis pugnent immutare aut conatus aut ausus est.

Quum igitur non solum non constet famosa illa capita vitarum Marci et Severi ex Eutropio et Victore deprompta esse, sed etiam vestigia haud incerta cernantur, quae ostendant ea ex communi omnium fonte hausta esse, leviora quoque id genus crimina a Dessavio ficta facile diluuntur.

Idem enim d. v. l. l. pag. 372 ita pergit: „Es findet sich in einer Gruppe der vitae eine directe Polemik gegen Aur. Victor und Eutrop.... (Es) verwirft der Verfasser jener

Biographien die Ansicht von *quidam imperiti scriptores*, es habe nur zwei Gordiani gegeben (Gord. cap. 2), tadelt die *scriptores* die in ihrer *imperitia* den jungen Gordian zum Praefectus Praet. des alten gemacht hatten (Max. et Balb. cap. 15), verhält sich ablehnend gegen die Nachricht der *Latini Scriptores* Maximinus sei bei Aquileia von Pupienus besiegt worden (Maximini cap. 33), überhaupt bedenklich gegen die Person des Pupienus dessen Namen er nur bei *Lat. Scr.* in stelle des Namens Maximus den seine *griechischen* Quellen boten gefunden haben will (Max. et Balb. cc. 16 et 18; vgl. cap. 15)". Jam vero hos errores ad unum omnes admisit Victor, et uno duntaxat excepto (de tertii Gordiani praefectura praetorio) etiam Eutropius. Fatetur quidem ipse Dessavius: „Immerhin lässt sich nicht eigentlich beweisen, dass die Polemik des Biographen nicht gegen die gemeinsame Quelle des Victor und Eutrop gerichtet ist"; sed subjicit: „wie viel ungezwungener aber sie auf die beiden uns erhaltenen Schriftsteller bezogen wird ist klar." Unde id elucet? Scilicet quod si ipse fons impugnaretur „dann dêr Plural *imperiti scriptores* eine ja nicht ungewöhnliche rhetorische Figur wäre." At si haud insolita est haec figura, cur S. H. A. ea usi non fuerint? Vel ab insolitis adeo abhorrere non solent! Ipse quoque Dessavius hac tantum figura explicare potest Max. et Balb. cap. 15: „His accedit *scriptorum* imperitia qua praef. praet. fuisse Gordianum parvulum dicunt, ignorantibus multis collo saepe vectum [1]) ut

1) Ultimis hisce verbis respicere videtur Herodiani VII. 26: „πέμψαντες τοίνυν τῶν σὺν αὐτοῖς τινας κελεύουσι τὸ παιδίον κομισθῆναι. οἱ δ' εὑρόντες αὐτὸ ἀθύρον οἴκοι, ἀράμενοι ἐπὶ τῶν ὤμων διὰ μέσου τοῦ πλήθους δεικνύοντες τοῖς ὄχλοις, Γορδιάνου τε ἔκγονον λέγοντες...." et VIII. 20: „ἀράμενοι δὲ τὸν Γορδιάνον Καίσαρα ὄντα."

militibus ostenderetur." Putat enim v. d. hunc de praefectura tertii Gordiani errorem *soli Victori* esse proprium. — Nobis tamen nil opus est ad tropos confugere. Nonne multi in H. A. nominantur scriptores latini, qui haec peccare potuerint? Nam quod hi aliunde noti non sunt, argumento non est cur numquam eos fuisse putemus. Unde enim noti essent? Victor et Eutropius fontes suos nominare non solent; a Suetonio autem usque ad illos nemo eorum qui res gestas latine narraverunt nobis superest praeter S. H. A.; imo ne unum quidem extat litterarum monumentum in quo hujusmodi nomina quaerere liceat. Num igitur dicemus neminem Romanorum post Marium Maximum ne Diocletiani quidem aetate, quum pace et tranquillitate Romana res floreret historiae operam dedisse? Obscuros autem hujusmodi scriptores nec multum nec diu in hominum manibus mentibusque versatos esse libenter credimus.

Sed ut viro docto plene satisfaciam, in ipsa H. A. digito monstrabo ei scriptores qui eodem fere modo ac Eutropius et Victor erraverint. In vitae Macrini cap. 3, postquam multa de variis Antoninis disputavit haec dicit auctor: „nec inter Antoninos referendi sunt *duo* Gordiani, ut qui praenomen tantum Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonii dicti sunt, non Antonini;" et in vitae Diadumeni cap. 6 „unde postea *duos* Gordianos patrem et filium Antoninos cognominatos putant." Auctor item vitae Hel. cap. 34: „et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit.... etiam illud addendum est ne quis error oriatur cum *duos* Gordianos narrare coepero, patrem et filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant." Hi scriptores si non duos tantum sed tres Gordianos novissent, *tres* nominassent; eidem

enim quaestioni, sintne Antonii an Antonini, sitne cognomen an praenomen in *tribus* Gordianis locus est [1]). Vitae Macrini et Gordianorum quae in libris manuscriptis Capitolino, Diadumeni et Heliogabali, quae Lampridio tribuuntur, sintne reapse a duobus an ab eodem scriptae, hoc loco non quaerimus. Si non omnes sunt ejusdem, — en alterum auctorem qui duos tantum Gordianos novit; si sunt ejusdem, — id quod postea imperitorum scriptorum commentum putavit aliquando ipse tradidit. Quod non admodum incredibile esse videmus ex iis quae de Maximo et Pupieno harioletur: in vita Maximinorum, quae cum Gordianorum communem profecto auctorem habet, cap. 33 haec leguntur: „Latini scriptores non Maximum sed Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt eundemque vicisse. Qui error unde natus sit scire non possum nisi forte idem sit Pupienus qui Maximus". At Max. et Balb. cap. 15: „tanta est autem historicorum inter se certantium imperitia vel usurpatio ut multi eundem Maximum quem Pupienum velint dici"; sequenti vero capite 16: „Maximus quem Pupienum plerique putant", et mox „ut mihi videatur idem esse Pupienus qui Maximus." Quam opinionem postquam c. 17 ex epistula probavit, tandem c. 18 ita concludit: „haec epistula probat Pupienum eundem esse qui a plerisque Maximus dicitur." Quam igitur sententiam antea probabilem duxerat, dein imperitiae accusavit, tandem ipse amplexus veram esse demonstravit; quidni ergo in Gordianorum quoque vita id quod ante ipse dixerat, jam meliora edoctus imperi-

1) Cf. C. I. L. VIII 848. Imp. Caesari M. Antonio Gordiano Divi M. Antoni Gordiani nep. divi Antoni Gordiani sororis fil. pio fel....

torum scriptorum errorem vocarit? Imo nonne hic veram causam tenemus cur illorum scriptorum nomina taceat [1]), et cur tam saepe tamque acriter tres fuisse Gordianos affirmet; id enim solent fere homines et acrius et saepius aliis inculcare in quo se ipsos aliquando errasse meminerint.

Etiam de ficta ad Aquileiam victoria, ubi Maximinus a Pupieno occisus esse tradebatur, S. H. A. obloqui Victori et Eutropio probari non potest. A multis enim hac in re erratum esse verisimillimum est. Ipsi Maximiniani milites (Maximini cap. 22) jactasse dicuntur Apollinem contra se pugnasse, nec illam Maximi aut senatus sed deorum fuisse victoriam; cap. 24 Maximus Romam laureatas mittit litteras; cap. 26 senatus acclamat „victores hostium omnes desideramus, praesentiam Maximi omnes desideramus." Maximus igitur reapse tamquam victor celebratus est, unde error ille ab ipso Maximo Maximinum victum interfectumque esse facile nasci potuit.

Tandem de tertii Gordiani praefectura praetorio non satis intelligo quo jure Dessavius Victori hunc errorem ideo proprium esse putet, quod Eutropius illum Gordianum admodum puerum imperatorem creatum esse dicat [2]). Neglexisse videtur

1) Dessavius hujus rei causam esse putat, quod falsarius Victorem et Eutropium nominare non potuit, ne fraudem suam indicaret, l. l. p. 372. Ceterum S. H. A. etiam ubi non Victorem et Eutropium sed alios scriptores impugnant, saepissime eorum nomina tacent.

2) „Auch musste dann die falsche Nachricht von den Praetorien Praef. des jungen Gordians schon in der gemeinsamen Quelle gestanden haben, während ein Vergleich von Victor und Eutrop es wahrscheinlich macht dass hier ein persönlicher Irrthum Victors vorliegt. (in nota) Bei Eutrop heisst der junge Gordian noch nach dem Tode des Alten und des Maximus und Balbinus admodum puer: damit verträgt sich nicht dass er bei Lebzeiten des Alten Praetorien Praefect gewesen sei."

vir doctissimus illa Victoris verba, quibus non tantum praefectum praet. sed et *praetextatum* eum patri adfuisse narrat: „qui forte contubernio patris *praetextatus* ac deinceps praefectus praet. intererat." Illud autem „*deinceps*" non multos annos complectitur quum legati quos senior Gordianus, delato sibi imperio, „Romam destinaverat", vix ante ejus interitum eo pervenerint [1]). Ergo juxta Victorem Gordianus junior factus est praefectus praet. et mox Augustus [2]), vix deposita praetexta, quod non adeo differt ab Eutropii „admodum puer". Quod igitur ad ejus aetatem attinet, nulla inter eos dissensio. Jam si Victor non videt quidquam obstare quominus quis vix deposita praetexta praefectus praet. fiat cur tandem id videre debuit Annalium auctor?

Quum autem et Victor et Eutropius duos tantum Gordianos noverint, alterum patrem, alterum ejus filium puerum, annalista quoque duos tantum memorasse videtur, confudisse itaque Gordianum tertium cum illius Gordiani qui proconsule Africam obtinuerat, filio, quem S. H. A. „*secundum Gordianum*" vocant. Nam hic in Africa imperator creatus est, annalista vero narrasse videtur Gordianum parvulum in Africa a militibus Augustum esse dictum: et enim Victor hoc aperte narrat, Eutropius vero indicat dicens eum aliunde Romam venisse: „itaque quum Romam venisset, Balbinus et Pupienus in palatio interfecti sunt, soli Gordiano imperium reservatum"; subjectum enim verbi „*venisset*" est Gordianus; si autem cum Droysenio legamus „venis*sent*", ut respondeat Paeanii [3]) „*ἐπέβησαν*", etiam sic subjectum erit

1) Cf. Victoris, c. 26. 2) Cf. ib. c. 27

3) Qui primus Eutropii Breviarium Graece vertit.

Pupienus et Gordianus; Balbinus enim ex quo imperator creatus erat Romam non reliquerat. Jam si Eutropius Gordianum aliunde Romam venisse narret, unde nisi ex Africa, ubi ejus pater princeps fuerat electus, eum venisse credidit?

Quod autem illum Gordianum praefectum praet. fuisse putarunt, ille error ex hoc natus videtur quod Carthaginiensium turba contra Capellianum qui Maximini partes in Africa tuebatur Gordianum secundum ducem petiverat. Atque hic quidem quo tempore patris sui (primi Gordiani) exercitui praeerat, aliquomodo praefecti praet. munere fungebatur, cum Gordianus primus misisset qui Vitellium Praef. Praet. interficerent. Quod sciens annalista, putansque hunc secundum Gordianum eundem esse qui postea a senatu Romam accitus admodum puer imperator est creatus, facile eo devenire potuit ut narraret eum patris contubernio prius praetextatum, dein praefectum praet. interfuisse, tandem in Africa a militibus imperatorem creatum esse.

Cum igitur vel scriptores qui exstant etiam nunc in H. A. vel alii quorum scripta interierunt, vel certe ipse communis Victoris atque Eutropii fons in eosdem in quos illi scopulos impegerint, non est cur putemus in vitis Gordianorum, Maximini, Maximi et Balbini a S. H. A. tectis verbis perstringi Eutropium et Victorem. Unum addimus: si Dessavii falsarius tanto opere delectabatur carpendo Eutropium et Victorem, cur in vita Didii Juliani eorum pudendum in nomine errorem non explosit? Cur nulla exprobratio in vita Commodi, cap. 11, ubi legimus „mensem quoque in honorem ejus, pro *Augusto* Commodum .... adulatores vocabant," cum tamen Eutropius VIII. 15 narret „*Septembrem* mensem ad nomen suum transferre conatus est."

Post tot herbas nocentes non sine gravi labore evulsas, restat infelix non lolium sed *Lollianus*, cujus vel nomen tot tantaque viris doctis negotia facessit. Epitomator „Aelianum" eum vocat, Orosius „Aemilianum," Victor „Laelianum"; de Eutropio dubium est: in una codicum familia dicitur „Laelianus" in aliis duabus „Lollianus"; prior Breviarii versio Graeca habet: „*Λουκίῳ Αἰλιανῷ*" (= Λ.*αιλιανῷ* = Laeliano?), qui post satis longum tempus iterum vertit, „*Λολλιανῷ*" scribit. — Ex nummis autem constare videtur „*Laelianum*" verum hujus nomen fuisse, ideoque apud Victorem et in una Eutropii codicum familia recte referri.

Jam vero infaustum hoc nomen in H. A. apud Trebellium Pollionem saepe recurrit et sine ulla codicum discrepantia „*Lollianus*" semper dicitur. Quaeritur unde hic error? Fatendum est id facillime explicari, si cum Dessavio dicamus Pseudo-Trebellium usum esse uno ex codicibus depravatis Eutropii in quo „Laelianus" jam in „Lollianum" commutatus esset. At vero hoc est quod nostrates dicunt „lacunam lacuna explere"; solvitur enim unum aenigma, aliud ponitur. Quomodo enim factum est ut Pollio praeter nomen nihil prorsus ex Eutropio deprompserit? Hic narrat, IX c. 9: „qui (Postumus) seditione militum interfectus est quod Mogontiacum, quae adversus eum rebellaverat, Laeliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset"; Pollio vero Trig. Tyr. cap. 3 „quum se gravissime gereret more illo quo Galli novarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemptus est"; cap. 4. vero: „quum Lollianus in locum Postumi subrogatus delatum sibi a Gallis sumpsisset imperium" et cap. 5 „hujus rebellione in Gallia Postumus interemptus est.... (Lollianus) interemptus est a Victorino." —

Dessavius putat Pollionem ea quae narrat hausisse quidem ex Eutropio, sed prae nimia in legendo festinatione non intellexisse, et ita „Laeliano res novas moliente" cum „seditione militum" conjungendo narrationem suam excudisse. Quod sane parum verisimile est (planissima enim sunt Eutropii verba) et minime explicat cur in ceteris quoque inter se discrepent. Nam post verba descripta ita pergit Eutropius „post eum Marius.... purpuram accepit et secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium...." Apud Pollionem vero Victorinus a Postumo in participatum imperii vocatur (Trig. Tyr. cap. 6) et „Victorino Lolliano et Postumo interemptis Marius ex fabro ut dicitur ferrario triduo tantum imperavit" (cap. 8) Satis igitur patet Lollianum non ex depravato Eutropii codice in H. A. migrasse. Ipsum aenigma equidem solvere non conabor. In H. A. quidem non de librarii mendo sed de scriptoris errore cogitandum esse satis constat; quod vero ad Eutropium attinet, nescio utrum sit verisimilius ipsum errasse, dein librarium ex Victore hunc errorem correxisse, an ipsum quidem recte scripsisse, postea vero sive ex H. A. sive casu quodam nomen depravatum esse. Certe „Lelianus" in „Lolianus" (sic nomina illa nonnumquam scribuntur) facillime abire potuit.

V.

Reliquae difficultates diluuntur.

Alterum Dessavius argumentorum genus ex eo desumit quod in H. A., praesertim quum res narrantur prorsus incredibiles, haud raro nomina occurrunt, quae, prioribus saeculis ignota, exeunte saeculo quarto a viris primariis gesta sunt. Itaque quum scriptores haud pauci, ut adulandi causa patronis suis generis antiquitatem affingant, eorum nomina in priscam historiam ingerere soleant, sibi visus est deprehendisse etiam S. H. A. inserentem narrationi suae nomina virorum qui Theodosio Honorioque Augustis floruerunt. Qua praesertim in parte viri et acumen et eruditionem admiratus sum; suam rem eum confecisse non puto.

Ipse fatetur: „vereinzelt können solche Spuren irre führen." Atqui in H. A. scriptorum, qui citantur, plus viginti nomina inaudita sunt, aliorum hominum ingens multitudo nominatur: quid quatuor, quinque ex illis in posteriori quadam aetate indicasse refert? Multa Romanorum nomina, imo gentilicia quaedam non nisi ex inscriptionibus nota sunt;

quot putas in Romano imperio homines fuisse, qui numquam neque a scriptoribus neque in titulis nominentur? Quid mirum etiam nomen aliquod semel tantum memoriae traditum (in H. A.) post satis longum temporis intervallum (saec. IV exeunte) iterum inclaruisse? Et si iis locis, de quibus nunc quaerimus, de Scriptorum adulatione cogitandum est, quid vetat dicere eas familias quae saeculo quarto exeunte magno opere floruerint, ejusdem quoque saeculi initio nobilitate et potentia multum valuisse? Siquidem quae reipublicae liberae aetate vigebat nominum stabilitas, sub imperatoribus etiam, quamvis minus firma, permansit. Jure igitur suo Mommsen putat in hujusmodi rebus nonnihil casui esse tribuendum, nec ullius momenti esse „*Ragonium* Celsum," qui in H. A. *ficto munere* Gallias rexisse dicitur [1]), commune nomen habuisse cum Ragonio Celso, quem a^{0}. circiter 380 praetorem triumphalem, consulem suffectum, praefectum annonae fuisse docet C. I. L. VI, 1759.

Jam singula perpendamus.

Propter Clodium Celsinum Adelphium praefectum urbi a^{0}. 351, ejusque filium Faltonium Probum qui a^{0}. 391 idem munus gessit, Dessavius excogitatos esse putat Clodium Celsinum qui Sev. cap. 11. Clodii Albini affinis, dein (Clod. Alb. cap. 12) ejus frater dicitur, et Falconium Probum qui Aur. cap. 40 nominatur. Quod si verum sit cur illos ita distraxit scriptor, ut nemo de illorum affinitate cogitare pos-

1) Pesc. Nig. cap. 3. Adde Severi litteras quae eo loco afferuntur, ad Ragonii famam non valde pulchras esse: „milites tui vagantur, tribuni medio die lavant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria; saltant, bibunt, cantant et mensuras conviviorum vocant illi hoc, sine mensura potare...."

sit? cur centum fere annorum spatium inter illos posuit? cur patrem quem, si Dessavii (et magis etiam si Seeckii) conjectura vera est, vix cognoverat, ita extulit ut ejus nomen tribueret viro illi quem invito Severo senatus laudavit; filium vero aequalem suum ita depressit ut illum compararet homini sat obscuro, quem tantum in Arelli Fusci locum proconsule Asiae delectum esse sciret.

In vita quoque Maximini Junioris, quae tota ex fabellis contexta est, nomen quoddam invenit Dessavius ad rem suam utilissimum. Nam c. 27 legimus: „desponsa illi erat *Junia Fadilla* proneptis Antonini, quam postea accepit Toxotius ejusdem familiae senator, qui perit post praeturam, cujus etiam poemata exstant; manserunt autem apud eam arrae regiae quae tales.... fuisse dicuntur." Scripta haec esse putat in honorem Julii Toxotii sive mariti quondam sive filii Paulae viduae mortuae a^{0}. 404, cujus virtutes Hieronymus in epistula ad Eustochium (ep. 108) magno opere laudat.

Et primo quidem, de ipso nomine advertit: „Schon der Name Toxotius (ist) höchst verdächtig; solche signa Graecanica waren in den im Rom angesessenen alten Adelsfamilien — und aus einer solchen soll ja Toxotius gewesen sein — in der ersten Hälfte des dritten Jahrhunderts nicht im Gebrauch." Quibus respondit Mommsen hujusmodi nomina id aetatis usitata quidem fuisse, nobis autem minus nota, quia „die signa zu welchen diese Benennung gehört in der früheren zeit keineswegs in dem Umfang die legitime Benennung überwogen haben, wie dies nachher der Fall ist." Parum autem refert, fuerintne *Maximini aetate* hujusmodi nomina rarissima; quem enim inde a Diocletiano

frequentiora erant, is qui Constantino regnante scripsit facile ea suae narrationi inserere potuit. Ceterum Toxotio Juniae Fadillae conjugi fere nihil praeter cognomen cum Toxotiis posterioribus commune est. *Ille* enim ex nescio cujus Antonini familia, fortasse e gente Junia, fecit poemata et post praeturam mortuus est; *hi* non „*Junii*" sed „*Julii*" dicuntur, poetam alterutrum fuisse nusquam patet, ne ex Hieronymo quidem qui hujusmodi quid non omisisset, cum patrem virum clarissimum et eruditissimum fuisse dicat (ep. 107. 1). Deinde si propter juniorem Toxotium haec scripsisset auctor, majorem ejus avo honorem quam praefecturam affinxisset. Quum autem Toxotii fratrisque ejus Festi Hymettii pater avique omnino nobis ignoti sint, fieri saltem potest ut plures in illa familia hoc nomen tulerint, atque scriptori saeculi IV i ineuntis noti fuerint. Nam ex Hieronymi verbis (ep. 108. 4) „*qui Aeneae et Juliorum altissimum sanguinem trahit,*" — quamvis origo ex „*Julo*" propter ipsum nomen excogitata esse videatur, — inferre tamen licet, illam familiam per aliquot saecula Romae floruisse; si enim e Graecia illos oriundos esse scivisset Hieronymus ex uno alterove Homeri heroe eorum stirpem deduxisset; sicut et Rogatus Paulae pater nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere (l.l. 3).

Porro junior Toxotius uxorem duxit Laetam Albini pontificis filiam; quare ita D.: „dass derjenige der die Notiz über die Heimführung der Kaiserbraut durch den vornehmen Senator Toxotius erfand.... dabei an einem vornehmen, vornehm und reich verheiratheten Toxotius seiner Zeit gedacht hat, ist höchst wahrscheinlich, besonders wenn man die Bemerkung erwägt die Geschenke des kaiserlichen

Bräutigams seien der Braut verblieben, also, musste der Leser hinzudenken, später an ihre und Toxotius Nachkommen gekommen." Dessavio igitur si credis, Toxotium divitias suas debere Maximino honoris causa auctor significat. An ut eum consoletur de iis, quae frater Festus Hymettius ab alio quodam Maximino passus est? Etenim *Maximinus* „regens quondam Romae vicariam praefecturam. . . . ." et multos alios senatores persecutus est et *Hymettium* quoque subvertit inque exilium expulit [1]). Qui igitur saeculo V⁰. historiam Augustam legeret ita alloqui poterat Toxotium: „Ne aegre tuleris patruum tuum aliquando relegatum esse, illum quidem prostravit Maximinus, avos vero tuos Maximinus ditavit." Homo litteratus qui ad Toxotium honorandum vetustiorem quendam Toxotium excogitasset a quovis potius imperatore quam a Maximino hunc beneficia accepisse finxisset.

Iis quae in hoc genere invenit Dessavius unum addidit Seeck [2]). In vita Clodii Albini c. 4 legimus: „Albinus Hadrumettinus oriundo sed nobilis apud suos et originem a Romanis familiis trahens Postumiorum scilicet et Albinorum et *Caeoniorum*, quae familia hodie quoque, Constantine Maxime, nobilissima est et per te aucta et augenda." Quibus verbis viros primarios aetatis Theodosianae respici probare conatur: „Obgleich es unter der Republik auch Postumii Albini gegeben hat, habe ich deren Gentilicium während der früheren Kaiserzeit niemals im Verbindung mit einem der Namen gefunden, welche der Caeonischen

---

1) Ammianus XVIII. 1.
2) l. l. p. 632.

Familie eigenthümlich sind. Erst 385 ändert sich dies." Nominat dein Postumium Julianum, Rufium Postumium Felicem et Postumium Lampadium, quorum cognomina Caeonii quoque habent. „Es musz etwa um die Mitte des Jahrhunderts zwischen den beiden Familien eine Verschwägerung statt gefunden haben (quas nuptias etiam aliunde ostendit); also eine Familien Verbindung, welche erst um das Jahr 350 geschlossen war, datirt unser Biograph bis in die Epoche des Sept. Sev. zurück."

At Diocletiani quoque aetate aliquam saltem inter illas familias fuisse affinitatem, patet ex Chronographo a[i] 354, qui Postumium Varum a[0]. 271 praefectum urbi fuisse dicit, anno vero 284 Caeonium Varum. Dein id ipsum quod addit v. d. omnem hujus loci difficultatem tollit: fuisse nempe in republica libera Postumios Albinos; omnes enim Caesarianorum temporum scriptores illos maxime avos laudare et nominare solent, qui in antiquis familiis ante Augustum floruerunt; quia igitur antea fuerant Postumii Albini, Clodium quoque Albinum ex illorum potissimum familia deduxit. Quod autem addit: „quae familia hodie quoque nobilissima est," id fecerit propter Caeonios Albinos saeculi IV, quos multos fuisse affirmat ipse Seeck; vel verius, quum tantum Caeoniorum familia his verbis respiciatur — antea enim dixerat „a Roman*is* famil*iis*", hic vero „*quae familia*" — id ad Cajum Caeonium Rufium Volusianum pertinet, quem, quamvis Maxentio praefectus praet. fuisset, Constantinus a[0]. 314 iterum consulem ordinarium creaverat [1]).

1) Cf. Clodii Albini c. 10. 6: „Albino ex familia Caeoniorum ...." et c. 12. 8 „quod de Caeoniorum stemmate sanguinem duceret."

Dessavius tandem praeter viros illos quos jam recensuimus, totam quandam familiam indicavit cujus gloriam S. H. A. designare contendit: familiam dico Sexti Petronii Probi, quae in altera saeculi IV[i] parte et per longum deinceps temporis spatium omnium maxime floruit. Hic vir matre genitus Anicia, quae familia Honorio Augusto, teste Zosimo, sola pecuniam habebat, totius imperii ditissimus, ab imperatore secundus, omnia munera, omnes honores gesserat, ejusque filii Anicius Hermogenianus Olybrius et Anicius Probinus a[0]. 395 consules ordinarii fuerunt: „ein fast vereinzelt dastehender Fall" [1]); quinque in illa familia consulatus enumerat Mommsen [2]); Claudius Claudianus [3]) de hac familia cecinit:

„. . . . . fixus in omnes
Cognatos procedit honos."

Hieronymus vero scribit (Ep[a]. 130): „Scilicet nunc mihi Proborum et Olybriorum clara repetenda sunt nomina: et illustre Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus aut rarus est qui non meruerit consulatum"; et mox c. 7. „Proba illa omnium dignitatum et cunctae nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius .... quam trium liberorum Probini, Olybrii et Probi non fatigarunt ordinarii consulatus." Verona oriundam esse hanc familiam, si non certum [4]), veri tamen simillimum faciunt C. I. L. V, 3344, ubi Petronius Probus dicitur

1) D. l. l. p. 356.
2) l l. p. 274.
3) In Carmine panegyrico de Olybrii et Probini Consulatu, v. 12, sq.
4) In primo titulo allato Veronenses eum dicunt „civem", non tamen addunt „Veronensem". „Peculiares" significare cives, nec *posse* significare „clientes" non probavit Dessavius.

„civis eximiae bonitatis" et C. I. L. VI, 1751, ubi illarum regionum incolae „peculiares" ejus se dicunt.

Jam vero in vita imperatoris Probi, cap. 24, affertur vaticinium quod ejus posteris summos in senatu honores portendit: „Posteri Probi vel odio vel invidiae timore Romanam rem fugerunt et in Italia circa Veronam ac Benacum et Larium atque in his regionibus larem locaverunt. Sane quod praeterire non potui, cum imago Probi in Veronensi sita fulmine icta esset, ita ut ejus praetexta colores mutaret, haruspices responderunt hujus familiae posteros tantae in senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus, posteri autem aeternitatem videntur habere non modum." De hoc loco ita Dessavius: „Es wird wohl nicht leicht jemand glauben dass der Verfasser da eine ihm zu Ohren gekommene unerfüllt gebliebene Prophezeiung treuherzig referire, die Erfüllung vertrauensvoll der Zukunft anheim stellend: .... es werden wohl auch andere Leser mit mir der Meinung sein, dasz der Verfasser hier auf etwas ganz bestimmstes zielt, das seine Leser sofort errathen mussten." Splendorem nempe eum denotare quo Sexti Probi familia fulgebat; illos qui praedictum honorem adepti erant, eosdem esse quibus promissus erat; significare igitur auctorem hanc familiam originem ab ipso imperatore Probo duxisse; ergo, ita Dessavius, auctor illam familiam cognovit vixitque post annum 395. Dein ita pergit: „Bemerken muss ich da nur noch dasz ein römischer Groszer des Namens Probus im vierten Jahrhundert wohl selbst auf dem Gedanken kommen könnte, er sei ein Nachkommen des Kaisers Probus, sicherlich aber nicht dem Schicksal entgehen könnte von

dienstbeflissenen Litteraten als solcher gefeiert zu werden."

Tanti autem momenti esse hoc argumentum putavit Mommsen, ut totum illud vaticinium a secundo Diasceuasta postea vitae insertum esse contenderet, idque eo magis quod „die Einlage, wie Hirschfeld mir bemerkt, handgreiflich ist: an die Klage um den Tod des Kaisers 23. 5 schliessen die Worte 24. 4 „senatus mortem Probi...." unmittelbar an und die Verbindung wird übel unterbrochen durch das dazwischen stehende Orakel über seine Nachkommen." Hanc Mommseni opinionem omnino rejiciendam esse puto et primum quidem propter illam quam Klebs affert rationem, in ceteris quoque Vopisci vitis nonnumquam narrationis cursum interrumpi, quod demonstrat vitae Saturnini 7. 3, ubi res multo pejus sese excipiunt. Praeterea narrationem jam initio c. 22 interrupit auctor ut Probum cum ejus decessoribus conferret atque ita in querelas de immaturo ejus interitu delapsus est. Verba c. 24. 4 „Senatus mortem Probi...." nihilo magis cum querelis quam cum vaticinio cohaerent, quia ad ipsam narrationem pertinent; saepius enim quid de quoque imperatore post ejus mortem senatus judicaverit refertur, cf. Aur. 37 „senatus mortem ejus graviter tulit, gravius tamen populus Romanus." — Deinde Vopiscus de imperatorum, quorum vitam narrat, posteris aliquid addere solet; ita Aur. 42 „Aurelianus filiam solam reliquit cujus posteri etiam nunc Romae sunt", Tac. 16 „et Floriani liberi et Taciti multi exstiterunt quorum sunt posteri, credo, millesimum annum exspectantes." Ne de Proculo quidem qui tyrannus tantummodo fuerat hanc rem omisit, c. 13. 5 „posteri ejus etiam nunc apud Albingaunos agunt." Neque igitur vita Probi, quem ceteris omnibus praetulit, hac parte carere potest.

De Dessavii vero de hac re sententia copiose disputavit Klebs [1]) qui probat hoc vaticinium ne potuisse quidem excogitari in honorem Sexti Probi ejusque familiae. Ex iis quae affert pauca quae mihi sufficere videntur excerpam. Et 1°. quidem advertit nec in inscriptionibus, quas multas de illa familia habemus, nec in scriptoribus et poetis, qui saepe eam celebrarunt, ullum exstare monumentum unde pateat hanc gentem umquam originem suam ab Imperatore Probo duxisse; contra illos affinitatem suam cum Aniciorum domo quam maximi fecisse saepissime videmus. Ex illis quos Dessavius vocat „dienstgeflissene Litteraten" nullus umquam, quod scimus, hac de re cogitavit. Claudianus in Carmine panegyrico de consulatu Probini et Olybrii magnopere laudat genus Aniciorum, magnifice ornat patrem filiosque, sed hanc occasionem eorum orgininem ab imperatore repetendi dimisit; si quis unquam mortalium certe Claudianus illam affinitatem finxisset, qui non dubitat laudare Celerinam propter cognationem cum Celerino quodam [2]):

„Qui quondam Meroen jussus Nilumque tueri,
„Quum sibi post obitus et Parthica fulmina Cari
„Sceptra daret miles, rebusque imponere vellet,
„Despexit fremitus et praetulit otia regno."

Huic argumento respondet v. d. Seeck [3]): „... hieraus ergiebt sich nichts weiter als dasz diese Stammbaumfälschung später ist als das Jahr 395", non tamen addit quis post illum annum hanc fabellam noverit. Avienus qui carmen „Orae

1) l. l. p. 449 seq.
2) Claud. Epithal. Pall. et Cel. 72 seq.
3) l. l. p. 638.

maritimae" misit Probo cuidam, quem Teuffel (§ 420) Anicium Probum consulem A^i. 406 esse putat, quamvis summis laudibus patronum extollat, nihil tamen de origine imperatoria scivit; quam etiam ignoravit Hieronymus cujus epistula ad Demetriadem (ep. 130 supra allata) A°. 414 scripta est. Hoc igitur prius expectamus ut nobis indicetur qui tandem sint illi „dienstgeflissene Litteraten" qui Probinorum gentem cum imp. Probo conjunxerint.

Quod autem totam rem conficere mihi videtur, id a Klebsio in notam esse relegatum miror (ad pag. 452). Vaticinium in fine esse corruptum putavit Eyssenhardt [1]), qui mutavit „modum" in „modo", atque ita sententias dividit „.... aeternitatem videntur habere. Non modo senatus mortem Probi gravissime accepit, aeque populus." At „non modo — aeque" nemo umquam mortalium, numquam Vopiscus dixit. Mommsen legendum putat „aeternitatem videntur habere *honorum*" quod quomodo opponatur verbis „sed adhuc neminem vidimus" omnino latet. Quid autem obstat quominus verba tradita ita explicemus ut „*modus*" opponatur „*aeternitati*" et „*definitum temporis spatium*" significet? Ita sententia exsurgit non elegans quidem, quae tamen facillime intelligitur, et in memoriam revocat alterum quoddam vaticinium in vita Tac. c. 15: „horum (Taciti et Floriani) statuae fuerunt Interamnae....; sed dejectae fulmine ita contritae sunt, ut membratim jaceant dissipatae. Quo tempore responsum est ab haruspicibus quandocunque ex eorum familia imperatorem Romanum futurum, seu per feminam seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis, qui.... qui terram om-

1) In editione Weidm. A^i. 1864.

nem .... suam faciat, postea tamen senatui reddat imperium .... Futurum autem eum dixerunt a die fulminis praecipitati, statuisque confractis post annos mille. Non magna haec urbanitas haruspicum fuit, qui principem talem post mille annos futurum esse dixerunt, quia si post centum annos praedicerent, forte possent eorum deprehendi mendacia .... Ego tamen idcirco inserenda volumini credidi ne quis me legens legisse non crederet." — Haec duo vaticinia si conferamus, apparet etiam in Probi vita Vopiscum postrema verba addidisse jocandi causa atque cum ironia ut significaret, neque horum haruspicum magnam fuisse urbanitatem, qui honores promiserunt ne post mille quidem annos futuros: nullum enim modum habet aeternitas, itaque neque eorum mendacia umquam deprehendi poterunt. Hoc modo si verba tradita explicantur, nulla emendatione egent et evincunt non excogitatum esse hoc vaticinium in cujusquam honorem. Qui enim haruspicum vaticinia manifesta mendacia vocat, non talia potissimum excogitat ut patrono aduletur. Quae cum ita sint nec ex hoc loco, nec ex ceteris nominibus quae Dessavius protulit, quidquam pro ejus sententia efficitur.

VI.

De singulis Historiae Augustae partibus.

a. *De „Serie Diocletiana".*

Cum v. d. Seeck probandum suscepisset eos ipsos locos, ex quibus de aetate qua H. A. coorta sit aliquid inferri soleat, non eo quo Scriptor fingat tempore conscriptos esse, primum ei de Sev. cap. 20 et Ael. cap. 2 agendum fuit. Quod enim de Aelii Veri vita locus alter aperte enuntiat, scriptam eam esse Diocletiano Augusto, cum Constantius et Maximianus Caesares jam creati essent, id de Severi vita significare videntur haec verba: „reputanti mihi, *Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse satis claret* [1]). De his ita Seeck: „Hierin

1) Sev. c. 20: „Legisse me.... memini Sept. Severum.... laetatum quod duos Antoninos.... relinqueret exemplo Pii, qui Verum et Marcum Antoninos per adoptionem filios Rpae reliquit; hoc melius quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos rectores Romanae Rpae daret.... sed illum multum spes fefellit.... et reputanti mihi Diocl. Aug. *neminem prope magnorum virorum optimun et utilem filium reliquisse satis claret*.... et ut or-

findet man Beziehungen auf die Thronfolgeordnung Diocletian's, welche ja dem Inhalt dieser Sätze entsprechend die Leibeserben ausgeschlossen habe." Multis dein probare conatur totam succedendi rationem, quam Diocletianus ordinaverat, non optimi cujusque electionem sed affinitatem et consanguinitatem spectare, cum multis inter Augustorum Caesarumque filios filiasque matrimoniis eorum familias inter se conjungere studeret; casu quidem et fortuito accidisse ut et succedendi ordo perturbaretur, et imperator optimum quemque successorem sibi elegisse videretur, id vero ante A. 306 praevidere neminem potuisse.

Vel inviti hic quaerimus, cur igitur Herculius electus sit qui quantum scimus nullis consanguinitatis vinculis Jovio connexus erat? Cur semel electus non hic potius quam Galerius Diocletiani unicam filiam duxit? Ita sane hominum natura fert ut etiamsi optimus quisque eligendus sit, inter agnatos tamen et proximos omnium primum circumspiciamus, et si quis ex remotiore loco arcessendus sit omnibus vinculis, matrimonii potissimum, eum nobis devincire conabimur; idque eo minus neglexit Diocletianus quo magis necessariam esse concordiam inter Caesares et Augustos perspexit. At haec omnia mittamus, nihil enim ad nostrum locum refert quid Diocl. voluerit. Nam scriptor hoc tantum affirmat, neminem magnorum virorum optimum et

---

diamur a Romulo: hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pomp. ... quid Camillus ... quid de Augusto, qui nec adoptivum bonum filium habuit, cum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiam ipse Trajanus in suo municipe ac nepote deligendo; sed ut omittamus adoptivos ne nobis Antonini Pius et Marcus, numina Rp^{ae}, occurrant, veniamus ad genitos...."

utilem filium reliquisse, quod quam aptissime dicere potuit Diocl^{o}. qui filium non haberet. Scriptori igitur „instinctu prophetico" nil opus erat, ut haec ante annum 306 scribere posset.

At eodem loco etiam sermo fit de filiis adoptivis: „Augustus neque adoptivum bonum filium habuit;" quid igitur Constantius et Galerius? „Offenbar hatte derjenige welcher dieses Geschwätz mit einer Anrede an Diocl. eröffnete gar keine Ahnung davon dasz dessen Caesares gleichfalls adoptirt waren." Optime! Quidni igitur dicamus scripta haec esse ante Caesares adoptatos, quum Diocl. filios nec genitos nec adoptivos haberet? Potius tamen dixerim haec verba assentatori excidisse cum verborum ambitum componere incepisset neque satis cogitasset, quomodo eum ad finem perduceret. Bene res procedit usque ad Augustum, hic autem propositi immemor ad adoptatos deflectit, statim tamen ob ipsos Diocletiani Caesares sermonem abrumpit, addito illo quo adoptivi iterum extolluntur „ne nobis Antonini Pius et Marcus.... occurrant." Ita ne stilum quidem vertere opus erat: quod enim dixit unum alterumve falsum esse in filiis adoptandis, id jam offendere non potest cum ipse statim exemplis allatis probet non omnes hac in re errasse; optime igitur sibi constat in opinione melius esse filios per adoptionem quam genitos relinquere; et hoc facturus erat Diocletianus.

Aelii quoque cap. 2 nobis perpendendum est, ubi narratur Aelium ab Hadriano esse adoptatum et Caesarem dictum.... „eo prope genere quo nostris temporibus a vestra clementia Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii virtute designati Augustae majestatis heredes." — „Nun sind aber — ita Seeck — bekanntlich adoptiv Söhne nach römischen Rechte nicht

quasi quidam filii, sondern den leiblichen Söhnen vollkommen gleich." Atque hac quidem de re nemo dubitat; verum qui principis erat filius, sive naturalis sive adoptatus, is etiam in imperio successor erat non de jure Romano, sed tantum ex consuetudine a qua haud raro armorum vi recessum est. Principis igitur filius sive naturalis sive adoptivus cui nec virtus nec arma deessent, quibus illam consuetudinem tueri posset, quasi virtute designatus erat Augustae majestatis heres. Itaque nostro loco Aelius non dicitur per adoptionem *quasi* quidam Hadriani *filius* esse factus ut Maximianus et Constantius quasi quidam filii Diocletiani, sed ut hi duo ita Aelius dicitur Caesar appellatus fuisse *quasi virtute designatus Augustae majestatis heres,* cum jam principis factus esset filius. Non igitur ex hoc loco effici potest quod vult Seeck (l.l. pag. 629) „da seit Constantin die Nachfolgebestellung durch Adoption völlig aufgehört hatte, so ist sie unseren Biografen auch nicht mehr geläufig."

Idem fere ex Albini vita (cap. 2) probare vult ubi Commodus Albino scribit: „Tibi do facultatem ut si necessitas fuerit ad milites prodeas et tibi Caesarianum nomen adsumas." Nihil hic de adoptione addit scriptor, nihil quoties dein ad eandem rem redit. Num ignoravit igitur iis temporibus neminem Caesarem fuisse dictum quin adoptaretur? Imo tam bene id novit ut hoc addere otiosum duxerit. Attamen in fine epistulae adoptio satis indicatur: eadem enim dona dantur Albino „quae et proavus Verus, qui puer vita functus est, ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit". Sufficiebat autem illa aetate ad arrogationem imperatoris rescriptum.

At quomodo in eadem Albini vita, cap. 7, Severus Albinum simul et Caesarem et fratrem dicere potuit? Ni fallor

eodem modo, quo idem Severus se et filium M. Aurelii adoptivum et Commodi fratrem esse finxit [1]); cum Commodo enim nec fuerat Augustus nec fuisse se finxit, sed a Marco Aurelio adoptatum se dicens dicere quoque cogitur fuisse se, Commodo Aug°, Caesarem ejusdemque Augusti fratrem. Simili ratione decessoris sui filium adoptivum Caesaremque, Albinum, suum dicit fratrem.

At rejecta Dessavii sententia nondum respondimus ad quaestionem quando haec vitarum series conscripta sit. Nam cum supra cum Mommseno et Wölfflinio statuerimus ab alio auctore confectas esse vitas secundarias, ab alio primarias, in his vero nonnullas inveniri partes, quae genus dicendi totamque agendi rationem Scriptoris secundarii potius quam primarii prae se ferant, explicare saltem conabimur quomodo tota haec series orta sit. Idque eo magis necessarium quod viri illi doctistimi nec de modo nec de anno originis inter se consentiunt.

Hic autem statim occurrit Mi. primus diasceuastes; alterum enim, cui eripuimus quaecunque ei tribuebantur [2]), in Insulas Felices relegavimus.

Libenter concedimus, ut omnes scriptores antiquos, ita etiam H. A. multis locis corruptam esse et interpolatam. Exemplum nobis sint ultima verba vitae Maximinorum: auctor scripserat: „quod ideo testatum posui, ne quis me hoc nescisse crederet"; librarius vero, lepidum caput, addidit „quod revera magnum stuporem ac miraculum crearet." —

1) Vide inscriptionem allatam p. 45, in nota 1.
2) Cf. dicta de Marci et Severi vitis, capite IV, et de vaticinio in vita Probi, capite V.

Recte autem advertit Klebs interpolationes non facere diasceuasin.

Concedimus quoque fuisse aliquando qui collectis undique imperatorum vitis unum Historiae Augustae quasi corpus composuerit. Ita novimus alium quidem ex variis oratoribus panegyricos in unum librum collegisse, alium „Originem gentis Romanae" et „Viros illustres" et Victoris „Caesares" in unam historiam Romanam conjunxisse [1]). Hanc si quis diasceuasin dicere velit per me licet. At qui ita S. H. A. collegit, fuitne idem cum eo qui vitas Maximinorum et Gordianorum conscripsit? Cum nihil hac de re constet, equidem putare malim codicem aetate multo posteriori et ad usum privatum tantum confectum esse.

Mommseni vero conjectura, eum qui post annum 324 Gordianorum vitas scripserit, simul cum illis alteram, eamque auctam editionem Pollionis et Vopisci et primae Augustorum seriei adornasse, eundem iis principum minorum vitas ita adjecisse [2]), ut ementitam antiquitatem fictaque scrip-

1) Cf. Teuffel, § 414.6: „Origo gentis Romanae a Jano et Saturno, conditoribus. . . . usque ad consulatum X Constantis."

2) Non praecise hoc negamus fieri potnisse ut Gordianorum auctor etiam aut omnes aut aliquas vitas primae seriei secundarias scriberet, et ad Diocletianum mitteret. Qui enim juvenis librum ad Diocletianum miserat, cur non potuit postea aliud opus Constantino dicare? Eum reapse singillatim vitarum volumina edidisse apparet ex Max. cap. 1, „ne fastidiosum esset.... singulos quosque principes per libros singulos legere, adhibui moderationem, qua in unum volumen duos Maximinos patrem filiumque congererem"; cf. etiam Gord. cap. 1, Heliog. cap. 35. Negat tamen Dessavius l. l. p. 337. „Es ist nicht recht wahrscheinlich dass ein Auctor der dem in der östlichen Reichshelfte residirenden Diocletian Schriften gewidmet hatte, zu Constantin der erst neunzehn Jahre nach Diocletians Abdanken Herrscher des Ostens wurde, übrigens im Gegensatz zu Diocletians Successionsordnung auf den Thron gelangt war und seine Freunde keineswegs aus der Umgebung des

torum nomina iis tribueret, atque tandem corpus historiae Augustae ita confectum ad Constantinum misisse, haec, inquam, conjectura minime veri similis mihi videtur. Nulla hujus fraudis ratio, nulla utilitas. Imo vero munusculum Constantino etiam gratius futurum fuisset, si totum illi esset

alten Oberkaisers wählte, in ein Verhaltniss getreten sei, das ihn berechtigte auch diesen Kaiser seine Schriften zu uberreichen." At primo, ipse quoque Seeck post alios has vitas *Romae* esse conscriptas putat; quid igitur refert, fueritne Diocletianus Nicomediae, Constantinus in Gallia? Praecipue cum vitae illae quae ad hunc missae sunt, omnes post devictum Maxentium, plurimae, fortasse omnes, etiam superato jam Licinio scriptae sint. Dein homines litterati maxime obscuri hujusmodi homunculi, non ita sese rationibus civitatis immiscent, ut non quam diversissimis principibus servire possint: imo ante alios omnes novos deos adorare solent.

Wölfflin quidem ex stili similitudine inter vitas primae seriei secundarias et Vopisci opera ostendere nititur illarum quoque Vopiscum auctorem esse. At si percurramus catalogum (p. 517) quem composuit, locutionum quae vitis Aelii et Getae cum Vopisco communes sunt, et eam quam Pollionis et Vopisci phraseologiam dicit (p. 535 sqq.) statim videmus quam multa in vitís inde ab Heliog. recurrant; has enim ipse v. d. saepius conferre jubet. Ubi autem vitarum prooemia (et his Wölfflin valde multum tribuit) inter se comparamus, apparet in serie illa prima-secundaria paucis tantum praefari auctorem, sive cur hanc vitam scribat (Ael. 10 versibus) sive cur hoc opus tam difficile sit (Pesc. N. 7 v., Mac. 20 v.); eodem prorsus modo Maximini duo incipiunt paucis verbis (10 v.) promittendo scriptorem moderationem adhibiturum, ut duos Max. in unum volumen congerat, idemque aliis quidem sed non pluribus verbis promittit initio v. Gordianorum (11 v.). Vopiscus contra prooemia perlonga facit, in quibus ad alia omnia digreditur: in vita Aur. colloquium cum Tiberiano narrat (45 v.), in vita Taciti confert interregnum post mortem Romuli cum interregno post mortem Aureliani (34 v.); sicut poetas ita et historiae scriptores esse virtutum praecones exponit in vita Probi (53 v.); de exemplis suis disserit in Quad. Tyr. (40 v.); tandem in vita Cari de Romani imperii fato disputat, totamque ejus historiam complectitur (55 v.). Majorem igitur similitudinem habet prima series secundaria cum serie Constantiniana, quam cum Vopisci vitis; nihil igitur ex hac parte obstat quominus scriptor Gordianorum Aelium quoque et ceteros primae seriei principes minores sive omnes sive aliquos scripserit.

dedicatum; nihil autem obstabat quominus diasceuastes omnes saltem vitas ab ipso scriptas huic imperatori mitteret, etiam illas quas seriei Diocletianae adjungeret. Cum enim partes illae in quibus Diocletianus appellatur quam maximam similitudinem cum secundariis vitis exhibeant, ne „Augusti" quidem primae seriei huic imperatori dedicatae fuisse videntur. Cur etiam Augustorum illorum vitas retractans Diocletiani potius quam Constantini nomen illis inseruit? Cur non omnes vitas aut saltem primam vitam imperatori dicatam fuisse simulavit? Duas Severo vitas subjecit: in altera, Clodii Albini, Constantinum appellavit, cur in altera, Pescennii Nigri, Diocletianum? Vita Getae incipit: „scio Constantine Auguste ...."; in vita Hel. cap. 2. dicitur „quod tu Constantine sacratissime": inter has vitas interjacent tantum vita Diadumeni, quam totam conscripserit Diasceuastes, et vita Macrini quam (nescio quare) ita retractaverit, ut eam ipse Mommsen secundariis potius adnumerandam esse censeat: putasne eum has saltem vitas Constantino dicasse? falleris, nam Macr. cap. 15, legimus „quae de plurimis collecta serenitati tuae, *Diocletiane Auguste*, detulimus." Tandem, quod vel solum sufficeret ad hanc conjecturam explodendam, talem tantamque fraudem suspicari non licet, nisi graves rationes suadeant; atqui haec non tantum nihil habet quo verisimilis reddatur, sed nova etiam aenigmata affert, eaque intricatiora quam quae solvit.

Et Wölfflin quidem propter hanc rationem (non enim addit quare Mommseni sententiam rejiciat) novam hypothesin excogitasse videtur, eamque hujusmodi ut non cogatur admittere ulli vitae falsam aetatem affictam esse. Est autem haec: Vopiscus iterum edidit opera quae antea ad amicos

miserat, illisque addidit Pollionis vitas et primam Augustorem seriem; quum autem Pollio tyrannorum quoque vitas scripsisset, primae seriei ipse addidit vitas secundarias, quas etiam Diocletiano dicavit; vitas imperatorum inde ab Hel. ad Philippos ex altero quodam nobis ignoto opere deprompsit; quaedam autem in omnibus vitis mutavit „er hat.... die Biographieën des Hadrian ff., die er von ältern Verfassern annahm selbst überarbeitet, d. h. durch Zusätze erweitert". Totum dein H. A. corpus ita confectum misit ad Diocletianum jam privatum, et quidem inter annos 308—315. Cur autem hoc fecerit Wölfflin etiam explicat (p. 511): Vopiscus, „hatte sich eine Zeit lang mit der Hoffnung getragen auch das Leben dieses Kaisers und seiner Mitregenten darzustellen, und diese seine Absicht im Bonos: cap. 15. öffentlich Kund gegeben, indessen folgte schon im nächsten Buche, im Car. 18. 5, die Berichtigung: man möge diess nicht von ihm erwarten.... Vopiscus wird einen Wink von oben erhalten haben dass Diocletian auf die ihm zugedachte Ehre verzichte, dagegen eine grössere Sammlung von Kaiserviten von Hadrian an huldvollst entgegennehmen würde".

At locus ille Bonos: cap. 15, „supersunt mihi Carus, Carinus et Numerianus, nam Diocletianus et qui sequuntur stilo majore dicendi sunt", nequaquam significat Vopiscum id in animo habuisse quod vult W.; particula „nam" exprimit causam, cur tres illi soli scribendi supersint: ceteros scribendos *non* esse; quare non? Quia „stilo majore dicendi sunt". Hoc ergo significat locus: Vopiscum onus scribendae Diocletiani vitae detrectare. Ita in fine vitae Probi promittit Quadrigam tyrannorum et addit „post inde si vita suppetit,

Corum incipiemus propagare cum liberis"; de Diocletiano ne cogitat quidem. Idem jam Probi cap. 1. dixerat: „si vita suppetet omnes qui supersunt *usque ad* Maximianum Diocletianumque dicturus"; quamvis enim Aelii cap. 1. verba „usque ad divum Hadrianum" hunc etiam imperatorem comprehendant, tamen Hel. cap. 34 docet eandem locutionem identidem excludere eum qui nominatur: „his jungendi sunt Diocletianus .... ceterique *ad pietatem tuam*; te vero, Auguste venerabilis, multis paginis iisdemque disertioribus illi prosequentur quibus id felicior natura detulerit."

Artificiosae Wölfflinii conjecturae sane non favet, quod vita Getae illi adaptanda est mutato, sine ulla alia ratione, „scio *Constantine* Auguste" in „scio *Diocletiane* Auguste". Non favet vita Macrini, quam cur ipse Vopiscus retractaverit nescimus, nec Clodii Albini, quae ad Constantinum missa est. Quas quomodo cum conjectura sua conciliet, nondum dixit Wölfflinius, sed in altero opusculo de vitis quae Capitolino tribuuntur est acturus, ubi etiam docebit quomodo vitae inde ab Hel. usque ad Max. et Balb., quae olim in illa Vopisci editione legerentur, locum cesserint iis quae nunc sunt in corpore H. A.. Quibus de rebus vehementer mirabor, si quid quod veri speciem habeat prolaturus sit.

Deinde neque Vopisci agendi rationem in hac conjectura intelligere possumus. Neque enim videmus cur non omnibus quas retractaverit Augustorum vitis sed duabus tantum, nec earum initio sed sub finem, Diocletiani nomen inseruerit; neque cur alienas quidem vitas ita mutaverit ut ad imperatorem missae esse viderentur, in suis vero amicorum appellationes reliquerit. Si enim honorificum illud imperatoris mandatum, quod detexit Wölfflinius, accepisset, ante omnia

suum ipsius opus secundis curis subjecisset, novoque patrono verbis quam officiosissimis obtulisset; quid quod ne tacuisset quidem hunc sibi honorem contigisse, quippe qui avum patremque in Jovii aliquando comitatu fuisse glorietur.

Tandem ipso initio primae vitae quam supplendi causa addidisset, manifestissimi mendacii argueretur; nam Aelii cap. 1. dicit se omnium Augustorum qui ante divum Hadrianum fuerunt vitas jam scripsisse, ceterorum se scripturum; mentiri autem quemquam, ubi tam facile in ipso delicto deprehendi possit, et quidem in ipsis illis verbis quibus opus suum imperatori commendet, haud credibile est. Itaque neque Wölfflin conjectura sua verum assecutus videtur.

At si et Mommseni et Wölfflinii sententia rejicienda est, quo tandem modo series illa Diocletiana orta est? Inter omnes constat in hac serie ab altero conscriptas esse Augustorum vitas, ab altero principum minorum, ita tamen, ut tota vita Macrini et quaedam in ceteris Augustis capita cum hujus alterius dicendi genere conveniant. Ex quibus cur non id efficiamus quod tantum ex illis effici potest: eum qui Caesarum vitas conscripserit Augustorum quoque aliquas vitas edidisse; harum maximam quidem partem periisse, totam vero Macrini vitam, ex ceteris fragmenta quaedam servata esse et in eam quae nunc exstat Augustorum seriem migrasse? Et revera ipse quidem Caesarum auctor affirmat se Augustorum quoque vitas narraturum; „in animo mihi est .... *non solum eos* qui principum locum in hac statione quam temperas retentarunt, ut usque ad divum Hadrianum feci, sed *illos etiam* qui vel Caesarum nomine appellati sunt, nec principes aut Augusti fuerunt vel .... cognitioni Numinis tui sternere" (Ael. cap. 1). Caesarum quidem aliorum vitas

ab eo reapse scriptas esse scimus; cur igitur negemus promissis eum plene stetisse et Augustos quoque narrasse? At quis ejus fragmenta aliqua in alienum librum ingessit? Ille, ni fallor, qui S. H. A. collegit. Qui cum ad proprium usum historiam aliquam imperatorum inde ab Hadriano colligere vellet, scriptores vero haberet alterum qui et Augustorum et Principum minorum usque ad Macrinum vitas narraverat (hunc deinceps dicemus A.)[1]), alterum (B.), qui Augustos tantum usque ad Caracallum scripserat, in rebus vero ad historiam pertinentibus priori longe praestabat, hujus scriptoris B. Augustos in codicem suum admisit, iisque ex A. vitas Macrini et Principum minorum addidit. Quoties tamen in Augustorum vitis quas scripsit A. aliquid reperiebat quod B. omiserat, si operae pretium esse videbatur, id sive in margine, sive in ipsa narratione libro suo adjiciebat; fortasse etiam unam alteramve rem ab A. melius aut copiosius expositam ita recepit ut eandem partem ex B. rejiceret. Quum tamen ad usum privatum codicem pararet, ne tentavit quidem partes illas diversae originis inter se connectere. Vitas vero Getae et Clodii Albini ex tertio opere deprompsit, quod melius et copiosius ibi expositae essent; ex hoc fortasse etiam vitas Imperatorum ab Hel. ad Max. et Balb. aut omnes aut aliquas

1) Quum verba quae Aelii vitam praecedunt: „Diocletiano Augusto Aelius Spartianus suus sal.," in utroque antiquissimo codice ipsius primi librarii manu scripta sint, fortasse huic auctori nomen Spartianum dare debemus. Parum refert scripseritne revera postea etiam alias vitas v. g. Gordianorum quas Constantino miserit; id autem concedi potest si quis propter vitam Avidii Cassii putet, non omnes primae seriei principes minores ab eodem esse scriptos, ideoque ne sex quidem scriptores sufficere ad omnia explicanda, nisi idem prius aliquas vitas miserit ad Diocletianum, postea alias ad Constantinum (cf. notam p. 76).

(nam fortasse vitae Heliogabali et Alex. Severi iterum ab alio auctore conscriptae sunt) in suum codicem recepit, quem perfecit Pollionis et Vopisci opera illi adjiciendo. Haec igitur sunt meae conjecturae[1]) summa capita: 1⁰. eum qui vitam

1) Hanc hypothesin latius evolvere, quaerendo quid igitur in singulis vitis auctori A, quid auctori B tribuendum sit, non est hujus loci. Vindicare autem eam conabor ab uno alterove argumento quo impugnari possit. Et 1°. quidem illi non obest, quod in vitis secundariis multa iisdem fere verbis repetuntur quibus etiam narrantur in primariis. Loci illi (quos collegerunt Aem. Brocks: „de quattuor prioribus S. H. A." p. 22, et Joh. Plew: „de diversitate S. H A." p. 9—13) id tantum probant aut alteram ex altera vita tamquam ex fonte haustam esse aut communem eas fontem habuisse.

2⁰. Per se patet illi non obesse quod nonnumquam auctor vitae primariae aliquid in altera primaria a se narratum esse dicat (v, g. Commodi 1. 1 „de Commodi Antonini parentibus in vita Marci Antonini satis est disputatum," ita etiam Car.: 1. 2) nec quod auctor vitae secundariae in altera secundaria (v. c. Ael. V. 2. 9, „de hujus familia plenius in vita Lucii Veri disseremus." Clod. Alb. 1. 4 „quare sortem illam, qua Severum laudatum in Pescennii vita diximus ad se trahebat,") nec quod auctor Diadumeni 6. 1 se etiam Macrinum scripsisse testatur.

3°. Quod auctor vitae secundariae identidem affirmat se etiam scripsisse vel scripturum esse Augustos (v. c. Ael. 1. 1, Luc. V. 1. 2, Av. Cass. 3. 3): idipsum nostra quoque hypothesis docet.

4°. Nonnumquam res quaedam particularis, quam auctor vitae secundariae se narrasse affirmat in vita alicujus Augusti, reapse exstat in illius Augusti vita quam habemus. Videndum est, sitne illa res hujusmodi ut vix in ulla illius imperatoris vita, si sit copiosius exposita, deesse possit: quod si fit etiam illi loci nihil valent ad impugnandum nostram hypothesin. Hujusmodi autem est Ael. V. 5. 5; nam auctorem vitae Aelii, si scripsit aliquam vitam Hadriani, in illa non omisisse istud tetrafarmacum, libenter credimus; maxime quum quam celebre illud fuerit, pateat etiam ex Al. Sev. 30. 6. Accedit quod scriptor secundarius aut ipso primario, aut sicut ille Mario Maximo usus est.

Idem dicendum de iis quae Luc. Veri 2. 3 et 9. 9 in vita Marci exposita esse perhibentur de hujus matrimonio, deque bello Germanico; et quae Clod. Alb. 12. 14, in vita Severi posita esse dicuntur de „severitate qua factionem Pescennianam vel Clodianam vindicaverit." Lucii Veri autem 9. 3 et 10. 2 respiciunt Marci 15. 1 et 15. 5 illam igitur partem quae ex auctore

Aelii scripserit aliquas etiam Augustorum vitas scripsisse, quae non exstant; 2°. eum qui S. H. A. collegerit variorum auctorum opera integra habuisse; 3°. eundem aliquoties in eandem vitam partes ex variis auctoribus depromptas congessisse; quodsi singulis hisce partibus nomina scriptorum ex quibus assumpta erant, adscripserit, habemus causam cur auctorum nomina in codicibus adeo confusa sint.

Ex quo mihi hisce de rebus constitit, facere non potui quin, quoties ad vitas Marci et Severi redirem, duplicem in illis ejusdem vitae narrationem viderem, alteram ex A, alteram ex B, ita tamen ut vita, quam conscripserat B, fere tota, quam conscripserat A partim tantum assumpta sit. Idque eo magis, quod Marci Aurelii mors non annalistico sed rhetorico dicendi genere refertur, et tamen, ut ante vidimus, ad illam partem pertinet quae ex Annalibus imperatoriis hausta est. Illi igitur qui tantum Augustos scripsit, attribuerim capita 1—15, et 20 ad finem, illi qui et Augustos et

secundario assumpta videtur. Non autem huc pertinet Luc. V. 11. 2 „Nota est fabula quam Marci non capit vita." Locutio enim „non capit vita" nequaquam significat id quod putat Plew l. l. p. 10 „in vita Marci eam non contineri" sed eam ab ejus vitae ratione abhorrere. Cf. Aelii 4. 3; „Hos versus vita non capit Veri." Loci igitur hujusmodi qui adsint nostram hypothesin non evertunt.

5°. Unus locus est in vita alicujus Augusti, ubi auctor dicit se etiam scribere vitas principum minorum: est Carac. 11. 1. Sed jam antea diximus Car. cc. 10 et 11, et propter fabulas ibi narratas, et propter declamatorium dicendi genus, videri non ab Augustorum auctore conscripta esse, sed assumpta ex illius opere qui scripsit et Augustos et Caesares. Id autem hoc loco maxime confirmatur quia ex eo patet horum capitum auctorem et scribere principes minores, et eodem quidem ordine qui indicatur in vita Luc. Veri 1. 1.

Quod praeter hunc locum in vitis Augustorum nullum omnino indicium inveniatur, eorum auctorem scribere etiam vitas secundarias, id vehementer nostram hypothesin confirmat.

Caesares tradidit, cc. 15—20. In fine c. 14 refertur L. Veri obitus, cum quo proxime cohaerent quae sequunter c. 20: „sed M. Antonino haec sunt gesta post fratrem; primum corpus ejus Romam devectum est et inlatum majorum sepulchris". Vita quam legimus cc. 1—15 et 20 sqq. ubique auctorem primarium sapit, nec quidquam in ea desideratur nisi fortasse una alterave sententia de vitae regnique tempore, quae praeter exspectationem capite 27 omissa est, quod scilicet jam in altera narratione legeretur [1]). Altera vero vita (cc. 15—20) et dicendi genus cum vita Aelii commune habet et hoc quoque quod ipsam historiam praecedit digressio, sequitur declamatio [2]).

Aliquanto res difficilior est in vita Severi. Satis patet auctoris Augustorum esse cc. 1—17, 5, alterius cc. 17, 5—22; cetera vero partim ex uno, partim ex altero deprompta esse mihi videntur [3]); mortis narratio ex auctore Augustorum admissa non est propter eandem causam ob quam neque in vita Marci; declamatio quam Caesarum auctor post mortem addere solet, servata est in cc. 20 et 21; praecessisse quoque digressionem denotant verba c. 17, 5: „et quoniam longum est minora persequi, hujus magnifica illa".

1) Verba „ut diximus" in cap. 21. 9 ubi auctio rerum aulicarum iterum narratur, tribuenda erunt aut illi qui H. A. collegit, aut posteriori alicui librario. Quae autem 23. 7 dicuntur de pantomimis amatis a Faustina respiciunt nec alium H. A. locum nec 19. 7 ubi tantum est sermo de gladiatoribus. Nonne igitur in c. 23 delenda sunt verba „ut superius diximus"?

2) In vita Aelii, historia incipit c. 2. 6, mors illius Caesaris refertur in fine c. 4 et deinde per tria capita de ejus moribus nonnullisque aliis rebus fabulando auctor pergit.

3) Quod facillime intelligitur si descriptae jam vitae ex auctore B., quaedam sententiae ex auctore A. in margine adjectae sunt, quae dein in textum migrarunt.

Quum autem, si haec vera sint, jam probari non possit Augustorum auctorem Annalibus imperatoriis usum esse, nullum nobis superest indicium scripsisse eum aetate Diocletiani. Quia tamen saepius Marium Maximum fontem suum dicit, vita vero Aelii ex ejus Hadriano hausta est, hoc saltem affirmare licet floruisse eum in altera saeculi tertii parte; quod temporis spatium quomodo in angustiores fines contrahi possit equidem non video.

---

b. *De Serie Constantiniana.*

In hac serie vitae Heliog. et Alex. Sev. alium auctorem quam ceterae habuisse videntur; id vero longius persequi opus non est. Vitam Hel. post Licinium devictum, post annum igitur 324, scriptam esse patet ex c. 35: „his addendi sunt Licinius (Severus Alexander) atque Maxentius quorum omnium jus in dicionem tuam venit." Sed totus ille locus [1]) diligentius nobis perpendendus est, quum Dessavius et Seeck magno opere eum pro sua sententia militare contendant.

Et Dessavium quidem male habet quod Constantino aemu-

1) Hel. c. 35. 4. „His jungendi sunt Diocletianus aurei parens saeculi et Maximianus ut vulgo dicitur ferrei, ceterique ad pietatem tuam; te vero Auguste venerabilis multis paginis iisdemque disertioribus illi prosequentur quibus id felicior natura detulerit; his addendi sunt Licinius (Severus Alexander) atque Maxentius, quorum omnium jus in dicionem tuam venit, sed ita ut nihil de eorum virtute derogetur; non enim ego id faciam, quod plerique scriptores solent, ut de his detraham qui victi sunt, quum intelligam gloriae tuae accedere si omnia de illis quae bona in se habuerint vera praedicaro."

lorum vitae promittuntur „ita ut nihil de eorum virtute derogetur." Cui Mommsen respondit: „allgemeines Renommiren mit Unparteilichkeit ist den Servilen aller Zeiten eigen und zu allen Zeiten ungefährlich gewesen." Id Seeck generatim verum esse concedit, sed „nur dann nicht wenn jener Feind sein Mitregent gewesen war." Quid illorum temporum homines hac de re cogitarint patet vel maxime ex Pesc. Nig. c. 12: „domus ejus (Pesc. Nig.) hodie Romae visitur.... in qua simulacrum consistit....; exstat etiam epigramma Graecum.... quos quidem versus Severus eradi noluit, quum hoc ei et praefecti suggererent et officiorum magistri, addens: 'si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus; si talis non fuit putent omnes nos talem vicisse, immo sic sit quia fuit talis'". Exemplo praeiverat Tacitus Ann. XII, 36 „et Caesar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo." Ceterum scriptor vitae Heliogabali non dicit singulorum eximiam fuisse virtutem, sed se nihil derogaturum de cujusque virtute; pro sua igitur quemque virtute describet, nihil addendo nec detrahendo; quod non prohibet quominus Maxentium tanquam foedissimum atrocissimumque tyrannum depingat.

At eadem libertate qua Maxentii virtutem videtur laudare ipsum Constantinum reprehendit. Postquam Alex. Sev. 67. magno opere laudavit Alexandrum, qui eunuchos contempserit, addit: „Scio, imperator quod periculo ista dicantur apud imperatorem qui talibus serviit, sed salva Rep^a. posteaquam intellexisti quid mali clades istae habeant et quem ad modum principes circumveniant, et tu eos eo loci habes, ut nec clamide uti jusseris." Quod in his verbis de imperatoris laude dupliciter detrahere videtur id revera duplicem ei

honorem affert: major sit laus non errasse, errorem agnitum correxisse sua laude non caret; deinde „quamvis periculo ista dici soleant apud imperatorem qui ipse aliquando eunuchis serviit", apud Constantinum tamen libere dicuntur; neque enim tacet scriptor. Non igitur haec duplex reprehensio est sed duplex laus: verum libere dici posse Constantino Augusto, et Imperatorem emendasse ea in quibus se errasse agnovisset.

Sed redeamus ad locum vitae Heliogabali [1]) ubi Seeck advertit: „Auch ob man einem Schriftsteller der Constantinischen Epoche den Blödsinn zutrauen darf, dem Maximian ein anderes Zeitalter (saeculum) anzuweisen als seinem Mitregenten soll einstweilen unerörtert bleiben." Hic parum sane refert vixeritne qui haec scripsit post viginti an post centum annos, dummodo ne ignoraverit imperatores illos simul regnasse. An igitur contendit Seeck id falsario suo ignotum fuisse? Dicitur tamen Aurel. 42, 3 „nam ab Augusto in Diocletianum Maximianumque principes quae series purpuratorum sit index publicus tenet." Immo ipsa verba, quae reprehenduntur, accuratius quid Diocletianum inter Maximianumque interfuerit exprimunt, quam ut post centum annos ab auctore tam parvi ingenii inventa essent. Fuit enim Diocl. [2]) gubernandi scientia quam peritissimus; Romanum imperium novis legibus atque institutis quasi novo firmamento roboravit; Carini partibus parcendo, ceteraque omnibus in rebus

1) His jungendi sunt Diocl., aurei parens saeculi et Max. ut vulgo dicitur ferrei, ceterique ad pietatem tuam.

2) Ad indolem Diocl. et Max. cf. H. Schiller Geschichte der röm. Kais. II, p. 120 et 124 et Gibbon: decline and fall of the roman Empire (1822) II, p. 2, 4.

humanitate omnium amorem conciliaverat; et vix sub regni finem, cum jam morbis et diuturnis laboribus fractus esset, assiduis Galerii flagitationibus ad Christianos persequendos pertrahi potuit. Herculius vero, ferus et incivilis, ingenii asperitatem etiam vultus horrore significans (Eutr. IX, c. 27) bellica tantum scientia virtuteque pollebat. Ita Diocl. pro sua indole suoque ingenio aurei saeculi parens re vera esse potuit, Maximianus ferrei. Quid mirum igitur vixisse illud dictum in hominum sermone, unde id assumptum significat scriptor his verbis „ut vulgo dicitur"; hujusmodi autem dicta aetatem ferre non solent et ante centesimum annum fere evanescunt. Praeterea post aureum Diocl. saeculum Maximianus, resumpta purpura, qua invitus se abdicarat, ferream turbarum armorumque civilium aetatem vere instauravit.

Tandem qui sunt illi, qui dicuntur „ceterique ad pietatem tuam?" Suntne Constantius, Galerius, Maximinus? — Negat Seeck „denn diese alle haben mit Constantin zusammen geherrscht (num etiam Constantius??) und die Mitregenten, darunter auch Sev., werden ja später noch gesondert aufgezählt." Non tamen omnes enumerantur sed tantum ii qui post Constantii mortem Augusti nomen acceperint. Eundem igitur ordinem servat scriptor ac Lucii Veri auctor cap. 1 „scio plerosque.... non imperandi secutos ordinem sed vivendi: ego vero quod prior Marcus imperare coepit, dein Verus.... priorem Marcum deinde Verum credidi celebrandum." Si vivendi ordinem servasset, multi inter Diocl. et Constantinum narrandi fuissent; cum autem imperandi ordinem sequatur, Galerius, qui simul cum Constantio Augustus appositus est, Constantinum praecedere debet. Itaque ceteri illi sunt Constantius et Galerius. At Severus, Licinius,

Maxentius ante Constantinum Augusti nomen adepti sunt, cur igitur eorum vita post Constantinum addenda est? Quia Constantii heres eo ipso quod armorum vi totum imperium occuparat, solus legitimus successor habebatur, ceteri omnes qui post Constantii mortem purpuram sumpserant, usurpatores ducebantur. Ideo iis Alexander quoque annumeratur, qui mortuo Constantio apud Poenos pro praefecto agens dominatum stolide appetiverat (cf. Vict. c. 40). Quo nomine, quod nonnulli e textu ejecerunt Seeck autem servavit, auctor satis aperte dicit se eorum quoque vitas scripturum qui post mortem Constantii tyranni exstiterunt, ideoque saltem significat ne illos quidem omittendos esse qui post Carini mortem fuerunt. Ut autem Clod. Alb. et Pesc. Nig. post vitam Severi, ita tyranni qui fuerunt post mortem Constantii, narrandi sunt post Constantinum; qui fuerunt post mortem Carini, narrandi sunt post Diocl. et Max. Longam igitur vitarum seriem eorum promittebat qui post Diocletianum et Maximianum usque ad Constantinum *narrandi* sequebantur.

In ceteris vitis quae ad Constantinum missae sunt imperator plus semel appellatur „Maximus" (Clod. Alb. cap. 4; Max. cc. 1 et 34). Quod nomen haud diu ante annum 319 ab eo sumptum esse Mommsen ostendit (l. l. p. 260); inter annos igitur 319 et 337 illae vitae conscriptae sunt. Hoc tempus paulo accuratius etiam definiri probabiliter potest ex Gordian. cap. 34, ubi epigramma affertur in Gordiani III sepulchro ad Eupratem incisum, cujus ultima verba sunt: „Victori Germanorum sed non victori Philipporum"; deinde additur: „quem titulum evertisse Licinius dicitur eo tempore quo est nanctus imperium cum se vellet videri a Philippis originem trahere". Quae verba indicare videntur

pacem inter Licinium Constantinumque eo tempore jam fractam fuisse, fortasse etiam devictum jam et interfectum esse Licinium. Quod eo est veri similius, quum Philippus ille a quo Licinius sanguinem trahere „*videri voluit*", dicatur (c. 29) vir „humili genere natus sed superbus, qui se in novitate atque enormitate fortunae non tenuit"; c. 28. veneno interemisse Timisitheum qui „amabatur ab omnibus .... quem tribuni et duces usque adeo timuerunt et amarunt, ut neque vellent peccare, neque ulla ex parte peccarent": c. 31, insidiis circumvenisse Gordianum parvulum qui fuit „juvenis laetus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, amatus a populo et senatu et militibus ut nemo principum", atque „ita Philippus impie non jure obtinuit imperium" (c. 30). Occurrit Seeck p. 630. 'Eo tempore quo Licinius nanctus est imperium' kann nicht bedeuten 'während seiner Regierung', sondern nur 'gleich oder bald nachdem er zur Regierung gekommen war', illis autem temporibus Maximinus in Asia regnabat, „Licinius könnte also gegen ein Denkmal das sich in Mesopotamien befand gar nichts unternehmen". Equidem putaverim scriptorem non sine causa usum esse verbis: „imperium nancisci" potius quam his: „Caesarem vel Augustum creari, imperatoria insignia induere", quia Licinius anno quidem 307 a Galerio Caes. Augustus creatus est, sed tantum ut ejus vices gerens Danuvium defenderet, dum ipse in Italiam contra Maxentium moveret (Victor c. 40); quum autem post Galerii mortem (311), proprium imperium adeptus esset, mox (313) contra Maximinum bellum suscepit, quo fuso Asiae quoque regnum occupavit.

Hac igitur vitae scriptae videntur inter 324 et 337.

Iis annumeranda est Maximi et Balbini vita, cujus aetatem,

cum sit Gordianorum quasi mera appendix, propriis indiciis indagare opus non est.

---

c. *De Pollionis Vitis.*

Initio vitae Aureliani Vopiscus refert colloquium habitum cum Junio Tiberiano, praefecto urbi, *die festo Hilarium.* Magna hic indicantur Hilaria, a. d. VIII Kal. Apr., nam quod additur „quibus omnia festa et fieri debere scimus et dici" excludit altera Hilaria minora a. d. III Non. Nov., quae nemo fere novit. In illo colloquio sermo etiam fuit „de *Trebellio Pollione* qui a duobus Philippis usque ad divum Claudium.... imperatores.... memoriae prodidit". Junium illum Tiberianum bis fuisse praefectum urbi docet Chronographus, primum ab a. d. XII Kal. Mart. 291 ad a. d. III Non. Aug. 292, iterum a pridie Id. Sept. 303 ad pridie Non. Jan 304. Prima autem praefectura excluditur quia Pollio omnes vitas suas sub finem regni Diocletiani conscripsit; nam „unter den Machthabern hebt er den Constantius so auffallend hervor dass dies auf die der Abdankung der älteren Regenten (1 Mai 305) nächst vorhergehenden Jahre hinführt, wo das Ansehen der Augusti vor dem aufgehenden Stern der Caesaren verblasste" (Mommsen, cf. Gall, cc. 7 et 14, Claud. cc. 1, 3, 9, etc.). In altera vero Tiberiani praefectura, si fuit a pridie Id. Sept. ad pridie Non. Jan. dies Magnorum Hilarium non incidit; quare Mommsen Chronographum corrigit scribendo „pridie Non J*u*n." pro „pridie Non J*a*n.". Et ipse Seeck fatetur: „Eine so leichte Conjectur könnte man

sich gefallen lassen". Scimus igitur Vopiscum et Jun. Tiberianum confabulatos esse a. d. VIII Kal. Apr. A[i]. 304, simulque discimus operis recentis illos mentionem injecisse. Pollionis igitur singula [1]) volumina si statuamus inter annos 300 et 304 in lucem prodiisse, non longe a veritate aberremus.

1) Singula eum edidisse volumina patet ex Val. cap. 8 ubi in senten tiarum fragmentis quae sola supersunt est etiam hoc: „ad aliud volumen transeam"; Gall. 19: „placuit triginta tyrannos uno volumine includere", Tyr. 1: „scriptis jam pluribus libris.... in unum eos libellum contuli et quidem brevem", c. 31: „quos ego in unum volumen contuli.... nunc ad Claudium principem redeo de quo speciale mihi volumen.... videtur edendum", c. 33: „neque ego eloquentiam mihi videor pollicitus esse sed rem, qui hos libellos quos de vita principum edidi non scribo sed dicto"; maxime vero ex iis quae narrat Tyr. 31: quum edidisset Tyrannorum volumen in templo pacis ludibrio habitus est quod feminas: „inter tyrannos, tyrannas videlicet vel tyrannides ut de me solent cum risu et joco jactitare" posuisset. Ideo postea duos scripsit „tyrannos, quasi extra numerum, quod alieni essent temporis, additurus." Et addit „quaeso qui expletum jam librum acceperas boni consulas atque hos volumini tuo volens addas, quos ego quem ad modum Valentem superiorem huic volumini, sic post Claudium et Aurelianum is qui inter Tacitum et Diocletianum fuerunt addere destinaveram." Duo illi tyranni quorum vitae in hoc supplemento narrantur, dicuntur Titus et Censorinus. Totam hanc partem 31. 7—33. 8 sicuti et vitam Valentis superioris (Tyr. c. 20) a primo diasceuasta additam esse contendit Mommsen; maxime propter vitium illud quo hic et Max. cap. 11 nominatur Titus quem Herodianus VII 1. 9 dixerat Κυαρτῖνος. Contra vero Klebs (l. c. p. 456) et Wölfflin p. 537 ex dicendi genere demonstrant hanc quoque partem ipsius esse Pollionis. (Insuper Wölfflin advertit „Valentem superiorem" necessarium esse ut numerus triginta compleatur.) Klebs ex discrepantia in rebus narratis Dexippum aliter historiam Quartini retulisse efficit ac Herodianum, ideoque fortasse etiam aliud nomen huic Tyranno dedisse. Quae explicatio si minus placeat aliae suppetunt, aut auctorem Maximinorum Pollionis opera legisse, vitiumque imitatum esse, aut jam in Herodiani exemplo, quod fuit in templi Pacis bibliotheca hoc nomen mutilum fuisse: utrumque vero auctorem hoc libro esse usum. Ipse quoque Pollio indicare videtur se hoc nomen in Herodiano legere haud facile potuisse „nec mireris tantam esse varietatem de homine cujus vix nomen agnoscitur" (c. 32). Hoc quoque advertere liceat: cum Herodianus in vita

Haec autem verbis, quibus Tyr. 21. 7 Thermae Diocl^{ae} memorantur, confirmari putat M.; impugnari vero atque everti Dessavius et Seeck. Qui provocantes ad C. I. L. VI, 1130 [1]), Thermas illas, aedificari coeptas post Maximiani reditum ex Africa a^{o} 298, dedicatas vero a^{o} 305, exaedificatas dici potuisse a^{o} 303 prorsus negant. Videamus quid dicat Pollio. Narrat senatum Pisoni statuam inter triumphales et currus quadrijugos decrevisse. „Sed statua ejus videtur, quadrigae autem quae decretae fuerant, quasi transferendae, alibi positae sunt nec adhuc redditae. Nam in his locis fuerunt in quibus Thermae Diocl^{ae} sunt exaedificatae, tam aeterni nominis quam sacrati." In quibus vocem „alibi" conjecit Peter pro „ad alium", adnotans „*alibi* scripsi nisi loci certi cujusdam significatio lateat". Utra conjectura vera sit non dijudico, aliquid certe requiritur quod doceat alicubi positas esse illas quadrigas et quod opponatur vocibus „nam in his locis fuerunt e. q. s.". Hic certe est loci sensus: sta-

---

Gordiani tertii desierit, Pollio qui a Gordianorum successoribus Philippis initium fecit, unicam hanc occasionem afferendi Herodianum avide arripuit, quippe qui ubique magnae eruditionis gloriolam quaerat.

1) (dd. nn. Diocletianus et Max) imianus invicti
Seniores Augg. (patres) Impp. et Caess. et
(d) D. nn. Constantius (et Maximia)nus invicti Augg. et
(Severus) et Maximinus nobilissimi Caesares
thermas feli(ces) (Diocl)etianas quas
(m)aximianus Aug. rediens *) ex Africa
(sub pr)aesentia maje(statis) disposuit ac
(fi)eri jussit et Di(ocletiani) Aug. fratris sui
(n)omini consecra(vit) (coe)mptis aedificiis
(p)ro tanti operis magnitu(dine) omni cultu
(perfectas romanis suis) dedicaverunt.

*) Hanc vocem quam conjectura suppleverat Dessavius confirmat novum inscriptionis fragmentum nuper repertum Eph. Ep. IV, 1. 277 (Seeck p. 624).

tuam quidem etiamnum inter triumphales videmus, quadrigas vero non jam videmus suo loco; ibi enim nunc Thermae Diocl^{ae} exaedificatae sunt, cujus operis causa ad tempus alibi positae sunt ut, perfectis Thermis, in eas transferantur et loco suo reddantur. Nondum igitur redditae erant, cum haec scriberentur. Quare non? Ni fallor, quia Thermae eas recipere nondum poterant; exaedificatae quidem erant, quod sexto post opus inceptum anno nil mirum est; muri igitur, totaque externa moles ad culmen perducta erat; interna vero instructio ornatusque multum etiam diuturnumque laborem requirebat, ut post duos annos, omni cultu pro tanti operis magnitudine perfectae, dedicari possent. Ut igitur cetera ornamenta ita etiam Pisonis quadrigae adhuc deerant. Nomen autem „Thermae Diocl^{ae}" jam erat notum. Docet enim inscriptio allata ante coempta aedificia Maximianum Thermas aedificandas statim fratris sui nomini consecrasse. Omnino alio modo earum mentio injicitur in vita Probi c. 2: „Usus sum.... praecipue libris ex bibliotheca Ulpia aetate mea Thermis Diocletianis". Cum haec scriberet Vopiscus, perfectae jam dedicataeque erant eaedem Thermae; quam enim non nisi toto opere perfecto translatam esse facile credimus, bibliotheca jam aderat; patebant etiam populo, nam si privilegio quodam ante dedicationem eas adire Vopisco contigisset, pro modulo suo in ea re gloriatus esset. Novit autem bibliothecam non semper in illis Thermis fuisse; ideo addit „aetate mea Thermis Diocl^{is}". Haec igitur jam indicant vitam Probi scriptam esse post annum 305, quod quanto opere cum ceteris indiciis concinat in sequenti capite videbimus. Itaque hoc certe loco instare licet, et contendere id quod de Thermis Diocl^{is} dicitur, non tantum non

obstare quominus Pollio et Vopiscus scripserint initio quarti saeculi, sed falsarium omnino excludere. An dicemus eum, cum soleret esse negligentissimus, hic tamen anxie quaesivisse et detexisse, quid is qui a° 303 scriberet, quid qui post 305, dicere posset? Scripsit itaque Pollio, sicuti ipse de se affirmat primis saeculi quarti annis.

Frustra etiam in eo argumentum pro sua sententia petit Seeck, quod Pollio quater repetit Victoriam dictam esse matrem castrorum (Tyr. cc. 5; 6; 25; 31). Non enim id facit quod ignoret solitum illud per totum saeculum tertium fuisse imperatricum nomen, sed quia miratur, idque suo jure, illam feminam appellatam esse matrem castrorum, „Augustaeque nomine affectam" (cap. 5), quae nec Augusti, nec Caesaris ne Tyranni quidem *uxor* esset sed *mater* usurpatoris cujusdam Victorini, eamque post ejus mortem nepotem suum Caesarem appellasse (c. 6) deinde, hoc quoque interempto, Tetricum ad imperium hortatam esse (c. 24), quod „ejus esset ut plerique loquuntur affinis", ipsumque Augustum, filium ejus Caesarem nuncupasse (c. 25), cum ipsa mater castrorum ab exercitu nuncupata esset. Hanc viraginem usurpatorum matrem aviam atque affinem, quae „virile semper facinus" ausa est (cap. 31), insignitam esse hoc nomine summa sane admiratione dignum erat.

Ad definiendam aetatem qua Pollio vitas suas edidit, pro argumento nobis fuit officiosa illa diligentia qua semper, quoties occasio fert, Constantium laudat celebratque, ejusque posteris regnum mansurum praedicit [1]). Ipsum etiam Clau-

1) Cf. Claud. 10. „Et bene venit in mentem exprimenda est sors quae Claudio data esse perhibetur Commagenis, ut intelligant omnes genus Claudii

dium Gothicum, qui vix duos annos regnavit, ita magnifice extollit ut et privatum [1]) et imperatorem ceteris omnibus eum anteponat; et quidem ut ipse fatetur (Claud. 1) Constantii Caesaris honoris causa, quem ex illius genere originem duxisse contendit. Claudium Constantii generis esse principem jam in vita Gallieni (c. 7) affirmat, atque deinde tam saepe eandem cantilenam canit (cf. Gall. c. 14) ut nonnumquam ad hujus rei notitiam evulgandam scribendi munus suscepisse videatur. Quo majorem Constantio generis antiquitatem affingat, dicit Claud. c. 11 „nonnulli perhibent Claudium esse Dardanum et ab Ilo Trojanorum rege atque ab ipso Dardano sanguinem trahere." Haec meras fabulas esse nemo jam ignorat, nec opus est hanc quaestionem retractare; copiose de ea disseruit Klebs [2]), cujus haec est con-

ad felicitatem reipub. divinitus constitutum. Nam quum consuleret factus imperator quamdiu imperaturus esset sors talis emersit....

Regnabunt etenim tui minores
Et reges facient suos minores.

Item quum in Appennino de se consuleret, responsum hujusmodi accepit:

Tertia dum Latio regnantem viderit aestas.

Item quum de posteris suis:

His ego nec metas rerum nec tempora ponam

.... quae idcirco posui ut sit omnibus clarum Constantium divini generis virum, sanctissimum Caesarem et Augustae ipsum familiae esse, et Augustos multos de se daturum."

1) Cf. Claud. 2. 6: „quid magnum vir ille domi forisque non habuit? Amavit parentes. Quid mirum? Amavit et fratres: jam potest dignum esse miraculo. Amavit propinquos: res nostris temporibus comparanda miraculo." In quibus nusquam apparet, quod contendit Seeck cogitare auctorem de discordiis in familiis imperatorum. Claudii mores extollit componendo eos cum saeculi sui vitiis quae rhetorum modo exaggerantur. Ita capite quoque 9, ubi Claudii victoria Gothica Constantio Caesari, nepoti futuro, securam parasse rem publicam dicitur, rhetoricam tantum emphasin agnoscimus.

2) Sybels Hist. Zs. p. 233.

clusio: „die Geschichte des ersten Aufkommens der Constantinischen Genealogie gibt wie ich meine trotz ihrer Unvollständigkeit uns das Recht sie künftig als eine zweifellose Erdichtung zu behandeln."

Quod autem ad nostram rem pertinet, duplex inde Dessavius et Seeck pro sua sententia argumentum eruere conantur: alterum [1] quod A^{0}. 304 nec Constantius tantis laudibus Romae celebrari potuerit, nec ejus posteris futurum regnum praedici; alterum quod Constantii ex Claudio originem nemo mortalium somniaverit ante annum 310.

Prius argumentum Mommsen ex eo refutat, quod Constantius belli domique inter collegas eminebat: „Constantius war nach allen Zeugnissen ein tüchtiger Feldherr und ein bedeutendes Verwaltungstalent im Vollbesitz des Ansehens und der Liebe der Unterthanen." Prior Caesar erat, mox prior Augustus futurus, atque Maximiano Romae successurus. Nam Dioclum non jam pristino robore vigere omnes norant, mox eum simul cum Maximiano imperio se abdicaturum fortasse etiam vulgatum erat; quid mirum ad Constantium mitissimum illum virum, qui Gallias jacentes restituerat, et imperii universi oneri ferendo erat, omnium

1) „Völlich unmöglich ist dass vor der Abdankung Diocletians oder auch in der nächsten Zeit darauf vor dem Umsturz der Diocletianischen Successions Ordnung, also überhaupt zu Lebzeiten des Constantius, die Succession seiner Nachkommen auf Generationen hinaus in der Weise verkündet worden sei, wie dies Claud. 10 geschieht.... am allerwenigsten könnte dies in Rom geschehen wo Maximian regierte der auch einen erwachsenen Sohn hatte, den Maxentius, welcher mit der Tochter des anderen Caesars verheirathet war und von dieser einen Sohn hatte; und dieser Sohn lebte gerade damals in der Nähe von Rom während Constantius' erwachsener Sohn fern am Hofe des Oberkaisers verweilen musste."

animos sese convertisse, hunc sibi mox gubernatorem adfuturum omnes sperasse. Maximianum enim hominem semiagrestem in deliciis minime habebant; in Maxentio, ejus filio, foedi illius atrocisque animi, quo postea omnium odium contraxit, jam tum quaedam signa apparuisse veri simillimum est. Constantinus vero, Constantii ex Helena filius, magna cum fortitudine et pari felicitate in Asia militaverat, artem bellandi gubernandique didicerat ab ipso Diocletiano, in cujus aula ceteros omnes gloria antecellebat; ipse Seeck [1] fatetur exspectasse homines ab Augustis mox abdicaturis Caesares dictum iri Constantinum atque Maxentium. Cur igitur filio Constantii anno 304 imperium promitti non potuit? At licuitne per Maximianum ejusque filium Maxentium? Adoptatus erat Constantius a Maximiano cujus privignam Theodoram, priore uxore relicta, matrimonio duxerat; ex hac quatuor filios et tres filias habebat. Praeterea quod majoris etiam momenti est, ipsi Constantino, Faustam Maximiani Herculii filiam jam inde ab anno 293—294 desponsatam fuisse probat Seeck [2]. Quare, quaeso, Maximianus aegre tulerit imperium praedici filiae suae sponso? nonne

1) l. l. pag. 627 affert: de morte persecutorum cap. 19: „Constantinum omnes intuebantur; nulla erat dubitatio; milites qui aderant et priores militum electi et acciti ex legionibus in hunc unum intenti gaudebant, optabant et vota faciebant."

2) Cf. Pan. VI. „Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileiensi palatio ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella (Fausta) jam divino decore venerabilis sed adhuc impar oneri sustinet atque offert tibi etiam tum puero, Constantine, galeam auro gemmisque radiantem." Cf. Zs. für Wissenschaft. Theol. XXXIII p. 69. — Verum quidem est Crispum, Constantini filium natu maximum, ante matrimonium cum Fausta ex Minervina (Mamertina) natum esse. Haec autem non uxor videtur fuisse, sed concubina, cf. Epit. 41 Zosim. II 20, Zonaras XIII, 2. Quod Panegyr. VI, 4

gaudio potius afficiebatur quod sempiternum regnum promittebatur suis nepotibus, sive illi ex Theodora privigna, sive ex propria filia Fausta futuri significabantur? Maxentium nothum fuisse, quod veri simile esse ostendit Mommsen p. 254, non negat Seeck; quod Galerii filiam uxorem acceperat fortasse probat eum a succedendo penitus exclusum non fuisse, ipse tamen Maximianus non potuit non intelligere Diocletianum minime passurum, ut Maxentius statim Augustus designaretur. Constantium vero tam cito postquam Augustus creatus est moriturum esse, nemo praesagire potuit [1].

At non aegre tulerit Maximianus generum laudibus extolli, num ut novum illi genus affingeretur permittere potuit? — Quid tandem obstat? Filii adoptivi non ita in novam familiam transibant ut propriam originem ejurarent. Novis enim acceptis nominibus pristinum tamen nomen, leviter immutatum, servare solebant, ut paterni quoque generis gloriam retinerent; siquidem iis quoque honori erat ex familia antiqua et illustri ortos esse. Marcus Aurelius e. c. qui ab Antonino Pio adoptatus erat (M. Aur. c. 1): „a Numa probatur sanguinem trahere ut Marius Maximus docet". Cur

extollitur Constantini continentia, qui se, ab ipso fine pueritiae matrimonii legibus tradiderit, id non magni ponderis est: „haben sie ähnliche Lobsprüchen doch selbst für Maximian bereit."

1) H. Schiller, Gesch. d. Röm K. II, p. 171 putat, mortuo Constantio, non Maxentium sed ipsum Maximianum rebellionem inchoasse, iterumque imperium sibi vindicasse: „Anfänglich hat er gar nicht an eine Herbeiziehung seines Sohnes Maxentius gedacht, sondern als er in Italien .... Streitkräfte und Bundesgenossen sammelte liess er Münzen schlagen, welche eine Verbindung zwischen ihm und dem Flavischen Haus andeuteten und 1 Apr. 307 verlieh er sich und Constantin das Consulat." Quod si verum est, ipse pater non magnam spem in filio suo posuisse videtur, eique praetulisse Constantinum; quid mirum alios eodem modo judicasse?

igitur Herculius filio suo adoptivo et genero hunc honorem recusaverit?

At si Pollio jam anno 300 hanc genealogiam evulgaverit, quomodo Panegyricus anni 310 Constantino dicere potuit (Pan. 7 [1]). c. 2): „a primo igitur incipiam originis tuae numine *quod plerique adhuc fortasse nesciunt*, sed qui te amant plurimum sciunt, ab illo enim divo Claudio manat in te avita cognatio e. q. s."? Cur in praecedentibus Panegyricis in honorem Constantii (Pan. 4 et 5) et Constantini (Pan. 6) habitis, quamvis de Claudio identidem fiat mentio, ne verbo quidem illa cognatio memoratur?

Panegyrici quartus et quintus laudem quidem Constantii celebrant, sed anno 297, antequam Pollionis opera edita sunt; sextus anno quidem 307 in nuptiis Constantini et Faustae Maximiani filiae est habitus; ibi vero orator de cognatione illa tacuit, sive quod parum urbanum esse censeret coram sponsa ejusque patre — aderat enim Maximianus — sponsi familiam altius attollere, sive quia fictae originis fabula nondum in Gallias penetraverat. Non enim in Galliis eam inventam esse inferimus ex modo quo Eumenius in Pan. 4, c. 4, Claudii mentionem injicit. Narrat ibi Augustodunenses latrocinio Bagaudicae rebellionis obsessos frustra auxilium petiisse a principe Romano; hunc autem principem eundem esse Claudium, quem idem Eumenius in Pan. 8, c. 4 ab Augustodunensibus frustra sollicitatum esse narrat ad Gallias recuperandas, viri docti dudum viderunt. Sed vide quam diverso modo bis de eadem re Eumenius loquatur. Priori loco principem quendam dicit, nec addit ejus nomen,

1) Numeros affero editionis Baehrensianae.

„irrito rogaverunt", nec dicit cur irrito; scilicet non laetam nec gratam illius imperatoris memoriam servabant, cui omnes barbarorum vastationes, cuncta Galliarum infortunia imputabant. Altero vero loco divum Claudium nominat, quem irrito sollicitaverunt, quod sibi fortuna non ita favisset, ut ille reipublicae restitutor implorantibus subvenire posset. Quid enim? Claudius interum factus erat Constantini parens; itaque excusant eum communi reipublicae fato aerumnas illas tribuentes. Non igitur veri simile est hanc originem a Gallis excogitatam esse, quibus si res integra fuisset, cum quovis alio potius quam cum Claudio, tristis memoriae, dilectum suum principem conjunxissent. Ipsi quoque Constantius et Constantinus quibus haec Gallorum opinio ignota non fuerit, alium potius, puta ipsum Vespasianum, sibi elegissent. Romae igitur, ubi Claudii gloria vivebat, haec fabula inter Constantii partes exstitit, cumque rumoribus urbanis hominumque sermonibus ad multorum notitiam pervenisset, homo illius partis litteratus, historiam imperatorum scribens, hoc sibi sumpsit ut, occasione data, latius eam dispergeret. Is autem fuit Trebellius Pollio; nam rem prorsum novam primum excogitasse eum et evulgavisse vix crediderim. Mox vero cum improvisa Constantii morte, turbae exstitissent, quarum nemo sciret quisnam futurus esset finis, illa narratio interim quievit, donec Constantinus, occiso Maximiano, novum sibi genus quaerens hanc opinionem, ante aliquot annos evulgari coeptam, amplexus est. Itaque Pollio hanc cognationem anno 300 Romae narrare potuit, quam Eumenius anno 310 plerosque fortasse adhuc nescire dixit.

Quum argumenta, quae contulerant Dessavius et Seeck, fraudem non probaverint, opus non est ostendere quid eorum

sententiae et conjecturae difficultatis habeant; concidunt enim cum fundamento quo nituntur. Non tamen omittendum videtur argumentum, quo maxime illos impugnavit Mommsen. Est autem tale: laudes immoderatae quibus imperator Claudius propter Constantium cumulatur, justa causa carent nisi scriptae sint vigente domo Constantiniana; atqui Dessavii et Seeckii falsarius vixisse dicitur post Eutropium et Victorem, quum familia illa imperatoria regnum jam non teneret; ergo vita Claudii totumque Pollionis opus ei tribui non potest. Etiamsi vero, nescio qua conjectura, harum laudum probabilis causa indicetur, statim novum argumentum erit: sub finem vitae alterius Constantini exstitit fabula quaedam de gloriosa Claudii morte, qua reipublicae saluti ad Deciorum exemplum sese devovisse narrabatur; servata nobis est a Victore [1]) et in Epitome, Ammianus quoque saepius eam significat. Ea ipsa igitur aetate, qua H. A. scriptam esse putat Dessavius, maxime vulgata atque omnibus nota erat. Jamvero qui illis temporibus, ob quamcunque demum causam, Claudii virtutem extollere voluisset, certo certius praeclaram illam pro patria mortem, avidissime ad suum usum transtulisset, omnique qua polleret dicendi vi et copia exposuisset. Pollio vero qui cap. 12 jejune narrat „finito sane bello Gothico gravissimus morbus increbruit, tunc cum etiam *Claudius ad-*

1) Caes. 35: „Viri.... prorsus dediti reipublicae quippe ut longo intervallo Deciorum morem renovaverit. Nam quum pellere Gothos cuperet quos diuturnitas nimis validos ac prope incolas effecerat, proditum ex libris Sibyllinis est, primum ordinis amplissimi victoriae vovendum; quumque is qui esse videbatur semet obtulisset, sibi potius id muneris competere ostendit qui revera Senatus atque omnium princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi barbari summotique postquam Imperator vitam reipub. dono dedit." Cf. Epit. 34, et Amm. 31.5, 17 et 16.10, 3.

fectus morbo mortales reliquit", gloriosam illam Claudii mortem ignorasse deprehenditur, neque vixisse quo tempore haec fabula in omnium ore versaretur.

Hujus argumenti vim Dessavius pro suo ingenii acumine plene perspexit, ideoque praecavere conatus est. Nam quum pag. 377 probare vellet scriptas esse has vitas tempore Theodosiano hoc quoque attulit: si altero Constantio Augusto scriptae essent: „würde ihr Autor sich wohl nicht die in jener Zeit verbreitete Erzählung von dem Opfertod des Claudius haben entgehen lassen, die er auch gekannt aber nicht verwendet hat". — Frustra rimam quaerit v. d.! Etiam Epitome scripta est post 395, iisdemque temporibus Ammianus quoque vixit. Ne aetate Theodosiana quidem Claudii „panegyrista" eam dimisisset. Non ignorasse eum hanc narratiunculam efficit Dessavius ex vitae Claud. c. 12: „et Dexippus quidem Quintillum non dicit occisum sed tantum mortuum. Nec tamen addit morbo ut dubium sentire videatur"; ubi in codicibus pro Quintillo extat Claudius. At jam pridem codices emendavit Salmasius [1]). Demus autem Claudii nomen ibi genuinum esse, ne sic quidem ex hoc loco efficitur quod putat Dessavius: „es ist dies offenbar der Beginn einer

1) Hic pro Claudio requiritur nomen Quintilli quod D. tantum negasse videtur „pour besoin de cause". Nam illud „et Dexippus quidem non dicit" indicat antea *aliquem* dixisse eum occisum esse; jamvero Pollio non *Claudium* narraverat esse occisum sed *Quintillum*, de quo in tota hujus capitis ultima parte locutus est. De Quintilli morte reapse diversae erant opiniones; Vopiscus Aur. c. 16 narrat Quintillum esse interemptum, sed. c. 37: „multi ferunt Quintillum quum in praesidio Italico esset, audita morte Claudii sumpsisse imperium, verum postea ubi Aurelianum comperit imperare, a toto exercitu eum derelictum, quumque contra eum concionaretur nec a militibus audiretur, *incisis sibimet venis* die vicesimo imperii sui periisse."

Auseinandersetzung über die Discrepanz der Quellen in Betreff der Todesart des Claudius; hier aber ist der Autor nicht über den Versuch hinausgekommen". Quidquid S. H. A. objicitur, verba eos umquam defecisse nemo hucusque contendit, et quamvis alias loquacitate non laborarent, hac saltem in re verba iis non defuissent; neque etiam is qui Claudium tam magnifice laudasset tam breviter, tam dubitanter et quasi per transennam memorasset, id quod maximam imperatori gloriam addere posset. Tandem, mittamus haec omnia; verba enim allata quam apertissime indicant Pollionem in Dexippo hoc tantum dubium invenisse, utrum *occisus* esset Claudius an *mortuus aliquo morbo*. Itaque narratiunculam de Claudio pro patria sese devovente sibi notam esse scriptor ne levissime quidem significat.

---

d. *Vopiscus.*

Ut Pollio ita et Vopiscus singula deinceps volumina in lucem edidit; quod patet ex Tac. cap. 16 „haec sunt quae de vita Taciti.... comperisse me memini. Nunc nobis aggrediendus est Probus vir qui...." (sequuntur Probi laudes dein) „haec ego in aliorum vita de Probo credidi praelibanda, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret in me necessitate fatali ac Probo indicto deperirem; nunc quiescam interim meo stilo, satis factum arbitrans studio et cupiditati meae." Hoc igitur volumen edidit antequam novum conscribere coepit; quod ni fecisset, praelibasse Probi laudes in vita aliena parum profuisset. Eadem verba docent eum uno

libro absoluto non statim alterum inchoasse. „Aurelianum" editum esse quum Firmi vita scriberetur, docet Firmi cap. 2 „ipse ego in Aureliani vita, priusquam de Firmo cuncta cognoscerem, Firmum non inter purpuratos habui, sed quasi quendam latronem; quod idcirco dixi ne quis me oblitum aestimaret mei." Si Aur. vita nondum edita fuisset scriptor errorem suum correxisset. — Tandem provocare licet ad Probi c. 1 „sed non patiar ego ille a quo dudum solus Aurelianus est expeditus, cujus vitam quantum potui persecutus, Tacito Florianoque jam scriptis, non me ad Probi facta conscendere" [1]). Non est igitur cur dicat Seeck [2]); „nichts berechtigt uns die Arbeit des Vop. über den 25 Juli 306, an dem Constantius starb, auszudehnen; denn dass er an einem Büchlein, das in der Peterschen Ausgabe kaum 90 Seiten füllt, länger als zwei Jahre thätig gewesen sei.... ist doch mehr als unwahrscheinlich;" quae vera essent forsitan si omnes deinceps vitas nullo tempore interjecto ad finem perduxisset. Quod igitur in vita Aur. c. 44 dicitur „et est quidem jam Constantius Imperator" tantum probat *hanc vitam* conscriptam esse Constantio Augusto (ab 1 Maii 305 ad 25 Julii 306). Quod autem defenderat v. d. Rühl [2]) totam hanc partem (cc. 44—45) a Vopisco citari ex alio

---

1) In hac sententia Eyssenhardt scripsit „*expeditus*" pro: *expetitus*; optime ni fallor; nam quamvis Tiberianus solius Aureliani vitam expetivisset, non est cur de hac re mentio injiciatur, sed requiritur verbum quod de Aureliano idem dicit, quod „*scriptis*" dicit de Tacito Florianoque. At ne sic quidam sententia procedit; pronomen relativum *cujus* hoc modo conjungi non potest cum *persecutus*; requiritur aut: „cujus vitam quantum potui persecutus <sum>," aut quae conjectura verisimilior quia levior: „*hujus* vitam quantum potui persecutus."

2) Rhein. Mus. 43, p. 597 sqq.

scriptore, id cum Mommseno rejiciendum esse puto; S. H. A. orationem obliquam et orationem rectam tam negligenter permiscere non solent.

Neque verum esse puto, quod dicit Dessavius, hanc partem [1]) in qua Claudii laudes celebrantur ejusque posteris regnum promittitur, ideo non scriptam esse Romae anno 305, quod Severum Caesarem et Galerium Augustum lacessisset. Quamquam enim, agente Galerio, Diocl. Nicomediae, contra omnium exspectationem non Constantinum et Maxentium sed Maximinum et Severum Caesares creaverat, Constantius tamen factus erat prior Augustus, ideoque jus sequentes Caesares eligendi acceperat; praeter Galliam, Hispaniam, Brittanniam quas jam habebat, Italiam quoque et Africam obtinuerat. Harum quidem administrationem propter bellum contra Caledones non receperat, attamen qui in Urbe eximium illum principem amabant et admirabantur, etiam tum sperare poterant, fore ut tandem laboribus satiatus bella junioribus relinqueret, atque tranquilliorem sibi Romae vitam eligeret. Tanti certe eum faciebat Armentarius, ut contra Constantinum, quem obsidem apud se retinebat nihil umquam palam susceperit, quamquam eum et timuit et odio habuit, et data opera belli periculis exposuit. Rogante patre ut filius sibi redderetur, detrectabat ille quidem et obtemperare nolebat,

---

1) Aur. c 44, „mirabile fortasse videtur quod Asclepiodotus.... dixisse perhibet....; dicebat enim quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Dryadas sciscitantem, utrum apud ejus posteros imperium permaneret, quum illas respondisse dixit nullius clarius in rep. nomen quam Claudii posterorum futurum. Et est quidem jam Constantius imperator ejusdem vir sanguinis cujus puto posteros ad eam gloriam quae a Dryadibus pronuntiata sit pervenire."

numquam tamen aperte recusare est ausus. Ne Constantini quidem fuga ad manifestum bellum eum provocavit.

Quum Galerius autem videret Constantium Italiae administrationem non suscipere, hoc munus Severo detulit. Hic autem ut ubique terrarum, ita Romae quoque plane ignotus erat, nec ante Constantii mortem Romam pervenit. Victor enim narrat c. 40 „post mortem Constantii, quum Maxentius imperium jam usurpaverat, idque Armentarius acceperat, Severum Caesarem qui *casu ad Urbem* erat, arma in hostem ferre propere jubet". Eutropius vero 10. 2: „sed adversum motum Praetorianorum atque Maxentii Severus Caesar Romam missus a Galerio cum exercitu venit." Quod vero maximi momenti mihi esse videtur, turbae quibus vulgus et Praetoriani Maxentium imperatorem creaverunt, non exstiterunt ante sed post Constantii mortem; ut ex illa rebellione argui non possit Urbis incolas Maxentium Constantio praetulisse: neque enim ejus mortem exspectassent, sed statim purpura Maxentium induissent. Hoc tantum sequitur, non magni eos fecisse Galerium et Severum, quibus vel Maxentium praetulerint. Si autem dicas tributa a Galerio etiam in Urbe exacta hujus rebellionis causam fuisse, jam concedis non diu ante, veri similius etiam post Constantii mortem Galerium supremi juris exercitium in Urbe sibi arrogasse. Advertendum est tandem, quam difficile sit dijudicare quae ratio illis temporibus inter Augustos Caesaresque intercesserit, quove hominum mentes animique sese inclinaverint; nam quum improvise Constantius obierit (si enim aegrotasset, bellum contra Pictos et Caledones non suscepisset) spes et opiniones omnium, quidquid praevisum et dispositum erat, turbata sunt, multaque aliter ceciderunt ac si ille diutius

vixisset. At certo nihil obstabat, quominus Romani qui spem in Constantio collocabant, ei ejusque filio et posteris regni gloriam praedicerent. Vopisci igitur loquendi modus confirmat hanc Aureliani vitam scriptam esse quum Constantius esset Augustus.

In ceteris vitis Claudius saepe quidem in bonis principibus recensetur, numquam vero conjungitur cum Constantii familia; singulare quid in ejus laudem tantum invenimus Probi c. 3: „multi dicunt Probum Claudii propinquum fuisse, optimi et sanctissimi principis, quod quia per unum tantum Graecorum relatum est, nos in medio relinquemus." Ceterum omnibus imperatoribus longe anteponit Probum, quem vix umquam nominat, quin aliquid in ejus laudem dicat v. c. c. 22: „conferens ego cum aliis imperatoribus principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus qua fortes, qua clementes qua prudentes qua mirabiles exstiterunt, intelligo hunc virum aut parem fuisse aut si non repugnat invidia furiosa, meliorem" (cf. Tac. c. 16). Constantinus ne semel quidem nominatur; Constantius cum multis aliis Probi in re militari discipulis annumeratur (Probi c. 21); ceteroquin nihil de eo audimus, nisi in vita Cari cc. 17 et 18; quo ultimo loco una laudatur cum ceteris imperatoribus et Galerio, cujus victoria Parthica etiam c. 9 memoratur. Quum igitur in hisce vitis nec Constantius nec ejus familia praecipuo honore habeatur, Vopiscus eas scripsisse videtur mortuo Constantio sed ante quam Constantinus, devicto Maxentio, Romam in suam potestatem redegit.

At de tribus locis ex vita Cari, quos modo citavi, mirabile quid commenti sunt Mommsen et Seeck, quod nobis prius diluendum est. Mommsen quidem, ut probet Vopiscum

scripsisse illis fere temporibus quum Constantius esset imperator, haec dicit (p. 258): „Weiter hin wird Diocletians und seiner Collegen mehrfach gedacht an verschiedenen Stellen so dass sie noch an Regiment zu sein scheinen (Car. cc. 9, 17, 18), während an anderen Diocletian und Maximian deutlich erscheinen als zurückgetreten (Aur. c. 43) und Constantius als der regierende Kaiser (Aur. c. 44). Ausdrücklich werden die vier Regenten der Diocletianischen Epoche bezeichnet als lebend (Car. c. 18)."

Magis sibi constat Seeck, qui ut ostendat scriptorem haud distincte nec accurate terminasse tempus quo scribere se sub Vopisci nomine fingeret, haec profert (l. l. p. 616): „Vopiscus hat die Biographieen in chronologischer Folge geschrieben, denn in den spätern erwähnt er regelmäszig der frühern als abgeschlossen vorliegend; nichtsdestoweniger erscheint gerade in der ersten und ältesten Diocletian als abgedankt (Aur. c. 43) und Constantius als regierender Herrscher (Aur. c. 44), während in der letzten dieser wieder zum Caesar geworden ist (Car. c. 17 vgl. c. 9) und jener auf den Thron zurückgekehrt scheint (Car. c. 18)." Iisdem igitur locis vel utuntur vel abutuntur duo adversarii, ad suam quisque sententiam suadendam.

Quod ex Aur. cc. 43 et 44 inferunt id rite inferunt. Quod enim significatur posteriori loco — de quo satis superque egimus — Constantium jam esse imperatorem, id locus alter confirmat, ubi legimus „Diocletianum *jam privatum* dixisse, nihil esse difficilius quam imperare" [1]).

1) Id se a patre audivisse testatur Vopiscus. Avi quoque testimonium, Suetonii exemplo, saepius affert, et ita quidem ut is sub Probo militasse (cf. Quadr. Syr. cc. 9 et 15), initio regni Diocletiani in hujus comitatu

De iis vero quae ex vita Carini afferuntur, non tam facile assentimur Mommseno et Seeckio. Car. cap. 9 legimus quidem: „licet plane ac licebit per sacratissimum Caesarem Maximianum Persas vincere," inde vero tantum efficitur Galerium Maximianum Caesarem fuisse *cum Persas vinceret*, minime eum Caesarem fuisse *cum haec scriberentur*. Nos quoque nostris temporibus dicimus: „Galerius Caesar Persas vicit" [1]).

Car. c. 17 multa narrantur de Carini Caesaris luxuria, quae tanta fuerit ut ejus pater in filii locum voluerit Constantium creare Caesarem, „*qui postea Caesar est factus*" [2]). Parum iterum refert fueritne Constantius quum haec scriberentur Caesar an Augustus; per hunc locum licet eum id temporis jam obiisse. Eam dignitatem quam postea reapse accepit, jam Carus ei conferre voluit; hoc verba dicunt, ceteroquin nihil.

fuisse videatur (cf. Car. cc. 13, 14, 15.) Nihil ergo obstat quominus viginti annis post ejus filius, Vopisci pater, Diocletianum jam privatum, Salonas usque comitatus fuerit, et verba allata in itinere ex ejus ore exceperit. Postquam in novum domicilium Diocletianus pervenit, pater Vopisci Romam perrexerit: res enim ita ferebat ut post imperii abdicationem magna quoque officiorum pars dimitteretur. Vopiscus autem totum caput 43 vitae Aureliani inseruisse videtur, ut patris consuetudinem et familiaritatem cum maximo illius aetatis viro litteris concelebraret.

1) In codicibus post „licebit" omittitur „ut", in altero vero codice post „Maximianum" additur „constitit". Unde H. Peter legendum putat: „Licet plane ac licebit (ut) per sacratissimum Caesarem Max. constitit Persas vincere"; sensus erit: per victoriam a Galerio cum Caesar esset reportatam manifestum est factum Persas a nobis vinci posse. Nos Eyssenhardtium secuti sumus, sed pro re nostra nihil refert quid eligamus.

2) Car. cap. 17, „audiebat pater ejus (Carus pater Carini) quae ille faceret, et clamabat: 'non est meus'. Statuerat denique Constantium, qui postea Caesar est factus, tunc autem praesidiatum Dalmatiae administrabat, in locum ejus subrogare, quod nemo tunc vir melior videbatur."

De tertio tandem loco paulo latius agendum.

Car. c. 18, 3 — c. 19: „Hic trium principum fuit finis, Cari, Numeriani et Carini. Post quos Diocletianum et Maximianum principes dii dederunt, jungentes talibus viris Galerium atque Constantium, quorum alter natus est qui acceptam ignominiam Valeriani captivitate deleret, alter qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sane principes mundi fortes, sapientes, benigni et admodum liberales, unum in remp. sentientes, semper reverentes Romani Senatus, moderati, populi amici, persancti, graves, religiosi et quales principes semper oravimus. Quorum vitam singulis libris Claudius Eusthenius, qui Diocletiano ab epistulis fuit, scripsit, quod idcirco dixi ne quis a me rem tantam requireret, maxime quum vel vivorum principum vita non sine reprehensione dicatur."

De prima hujus partis sententia ita Seeck: „In diesem Satze stecken nur drei grobe Schnitzer":

1⁰. dicitur „Galerium atque Constantium" quum debebat dici: „Constantium atque Galerium" „nach der officiellen Reihenfolge." — Hoc de vitio, quod Probi cap. 1 recurrit, mox agemus. Hic tantum advertimus Aelii cap. 2 Maximianum ante Constantium nominari, quia auctor Diocletianum alloquitur, cujus Gal. Max. gener filiusque adoptivus erat.

2⁰. Nomen Galerius usurpari non solebat; semper dicebatur Maximianus. — At hanc consuetudinem etiam S. H. A. rite servant nisi ipsa orationis perspicuitas aliud postulet, si quando, ut hoc loco, alterius quoque Maximiani nomen in eadem sententia occurrit.

3⁰. Constantius Caesar reddidisse dicitur Gallias Romanis legibus, cum tamen regiones illas non acceperit, nisi postquam Maximiani victoria Bagaudica eas in Romanam iterum dicionem redegit. — At Bagaudis profligatis nondum Romanis legibus redditae erant Galliae. Multae supererant belli reliquiae et saepe cum barbaris conflixit Constantius; victoriam Lingonicam memorasse sufficiat. Quod autem majus est, urbes restituit, jura legesque firmavit, pace et tranquillitate pristinam felicitatem instauravit. Ut Thraciae, post Claudii victoriam Gothicam, ab Aureliano (Aur. c. 40), ita Galliae post Maximiani victoriam Bagaudicam, a Constantio Romanis legibus redditae optimo jure dicuntur.

Sed neque versiculus primus: „Post quos Diocletianum et Maximianum principes dii dederunt", difficultatem creare potest. Non dicuntur enim principes illi etiam tunc regnasse. Immo multo melius intelligimus, quid tandem scripserit Eusthenius, (qui Diocletiano ab epistulis „*fuit*"), si fortunatum illud regnum absolutum eo tempore jam fuerit. Dubitari tantum potest de verbis ultimis „maxime quum vel vivorum principum vita non sine reprehensione dicatur.' H. Peter pro „vivorum" legendum putat „divorum", ut sensus sit: „non sum scripturus vitas eorum qui etiamnum vivunt, cum ne mortuorum quidem ita conscribere potuerim ut reprehensionem vitarem." Haec si vera lectio est nullo prorsus jure infertur quatuor principes illos, cum haec scriberentur, *omnes regnasse*; facillime enim omnia intelliguntur dummodo *unus alterve* eorum etiamtunc *vixerit*, cum praesertim is cujus vita primum locum tenere debebat, cujus opera et virtutes imprimis laudanda erant, ipse inquam Diocletianus omnibus superstes fuerit. — Non placet tamen Peteri conjectura. Cur „divos" dixerit Vopiscus pro „mortuis"? Ne imperatores quidem mortui omnes divi erant,

nedum tyranni, quorum tamen vitas idem etiam conscripserat. — Putaverim nihil mutandum, verbaque tradita in hunc fere modum explicanda esse: „Non sum scripturus vitas eorum principum qui etiam nunc vivunt, cum ne vivorum quidem vita scribi possit, quin aliquid in iis reprehendatur." Sane in hac ipsa Carini vita Diocletiani vitia non reticentur (cap. 13) et alibi (Aur. c. 44) Diocletianus Maximiani asperitatem saepe reprehendisse dicitur. Credibile tamen est Vopisco haec scribenti propositum fuisse ipsum Maximianum, qui turbas post Constantii mortem exortas etiam auxerat, imperium sibi iterum vindicando, et mox filium ipse perdere conatus erat. Laudaverit igitur Vopiscus principes „quales semper oravimus" ita ut significet eos, quamdiu simul regnarunt, omni laude dignissimos fuisse, postea vero rem in pejus abiisse. Si haec est vera huius loci significatio, Carini vita scripta est ante Maximiani mortem, inter annos 307 et 310.

Nec desunt alia indicia quae idem suadeant. Quod enim Constantius et Galerius in hac vita laudantur, id indicat eam scriptam esse quo tempore, si minus concordia et amicitia inter principes illos et Maxentium, at certe pax et quies a bello civili erat, postquam igitur Diocletianus Carnunti eos ita inter se composuit, ut ab armis saltem abstinerent. Galerius autem quum esset prior Augustus nominatur ante Constantium qui jam mortuus erat.

Quodsi vitam Carini anno 308 vel 309 tribuamus res ipsa fert ut vitam Probi ineunte 307 scriptam esse dicamus. Idque omnino congruit et cum iis quae de Thermis Diocletianis diximus, et cum iis quae leguntur Probi c. 23: „eant nunc qui ad civilia bella milites parant, in germanorum

necem arment dexteras fratrum, hortentur in patrum vulnera liberos" et mox: „populus iste militantium qui nunc bellis civilibus remp. vexat, araret", quae verba non nisi bello civili coorto scribi potuerunt. Atqui statim post Constantii mortem tumultus exstiterunt; mox Severus a Galerio mittitur cum exercitu, quo devicto ipse Galerius contra Maxentium castra movit. Verba „in patrum vulnera liberos hortentur" ultro hoc bellum inter socerum et generum in mentem revocant. Eodem igitur anno, fortasse inter Severi et Galerii expeditiones, vita Probi scripta videtur. Quum autem Maximianus ad quem Severi milites transfugerant, pro illa qua praestabat fortitudine et arte militari recuperatam dignitatem armis tueri posse videretur, necdum concordiam cum Maxentio fregisset, ea tempestate prior Augustus haberi potuit; ideoque Probi c. 1 nominatur ante Diocletianum qui tunc privatus erat.

Si igitur vitam Aureliani Constantio Augusto, vitam Taciti anno 306 sed post mortem Constantii, vitam Probi anno 307, eodem anno exeunte Quadrag. Tyr., 308 vitam Cari et Carini, scriptas esse statuamus, omnes hac quoque in parte difficultates evanescunt, et in Vopisco non magis quam in ceteris S. H. A. ratio invenitur, cur Dessavii et Seeckii conjecturam probemus.

APPENDIX.

Disputatiuncula iam absoluta mihi innotuerunt:

I. *Klebs.* „Die Scriptores Historiae Augustae", Schluss (Rh. Mus. B. 47. pp. 515—550), qui postquam diligenter omnia in unum congessit, quaecumque ad singulorum scriptorum dicendi rationem spectant, iterum plures Historiae Augustae fuisse Scriptores contendit.

Non tamen eum satis prudenter egisse crediderim, cum ll. p. 578 vitas Aelii Caesaris et Veri Hadriano, Pio, Marco aliorumque vitis adnumeraret. — Nam in illis ipsis quas vocat „Sachliche Eigenheiten" vitas hasce saepius excipere debuit; praeterea in numero quinto excipiendus erat locus Aelii 3. 8 „fertur denique ab is, qui Hadriani vitam diligentius in litteras retulerunt".

II. *H. Peter.* „Die Scriptores Historiae Augustae. Sechs litterar-geschichtliche Untersuchungen. Teubner 1892".

Quae ad quaestionem de qua disputavimus pertinent, in commentationibus 1ª, 3ª et 6ª tractantur.

Dessavii et Seeckii opiniones impugnat; quorum argu-

menta eodem fere modo ac nos fecimus refellit: quod praecipue in Vopisci locis bene multis explicandis apparet.

III. *Dessau.* „Ueber die Scriptores Historiae Augustae" Hermes B. 27, pp. 561—605.

Eadem potissimum argumenta atque antea profert; Seeckii conjecturam de tertio illo Constantino plane rejicit; quae de „Historiae Augustae" origine disputavit, exemplo aliarum in re litteraria fraudum illustrat.

Ad ea quae nova attulit ut argumentis suis vim atque pondus adderet, haec respondere mihi liccat:

p. 563. de Victore et Eutropio iterum disputans, haec dicit: „Auch ist in Betracht zu ziehen, dass bei Werken so mässigen Umfanges die unveränderte Entlehnung grösserer Partien aus einem anderen Werke die Oekonomie des Ganzen stören musste". Quae quidem omnino vera esse facile intelliguntur, si quis ea inspexerit quae de Eutropii vita Marci, de Victoris vita Severi, de utriusque vita Aureliani monuimus; quae quidem vitae ultra reliqui operis modulum longe excreverunt.

p. 590. „Angeblich verschiedene Autoren stimmen in einer Reihe eigenthümlicher und höchst auffallender Manieren überein". deinde p. 593: „Etwas weniger wunderbar (immo vero facillime intelliguntur) erscheinen die von mir constatirten Uebereinstimmungen zum Theil, wenn man annimmt, dass es ausser den uns vorliegenden Biographien noch viele andere in derselben Periode entstandene Lebensbeschreibungen derselben Kaiser gab". At, p. 594. (et ibid. in ima pagina) „Kaiserbiographien zu schreiben ist in Rom zu keiner Zeit eigentlich Mode gewesen.... Auf die Gründe dieser

Thatsache einzugehen verzichte ich hier. Bestreiten lässt sie sich nicht, ausser für die zweite Hälfte des 3 Jahrhunderts, wenn mann alle Citate der Scriptores Historiae Augustae für ächt hält".

Falsarius ergo ille, nullius fere vir ingenii, non tantum libris suis — si Dessavium audias — falsam omnino aetatem adfinxit, sed etiam toti aetati illi genus quoddam litterarum plane fere inauditum atque ignotum adscripsit; quo solo qualemcumque veritatis speciem operi suo conciliare sibi posse videbatur! Χαλκέντερος sit oportet qui talia concoquere queat.

Ceterum ex scriptoribus qui in H. A. afferuntur non pauci ita laudantur, ut non in altera sed in priore saeculi III parte vixisse credi aut possint aut debeant; atque ita inter Marii Maximi, Herodiani, Cassii Dionis, Jul. Africani et Asinii Quadrati aequales non immerito referendi videantur. — Alii sui quisque Imperatoris vitam, suorum temporum casus memoriae prodiderunt, alii demum post renatas sub Diocletiano litteras floruerunt. Cfr. Peter ll. pp. 101 et 237 sqq. Teuffel n. 381.

Novum argumentum ll. p. 567 ex eo ducit Dessavius, quod Pollio et Vopiscus, quamvis ea narrent, quae vix ante annos 20 aut 30 acciderant, tam negligenter munere suo functi sunt, multaque omiserunt, quae magno opere desideramus. — Et sane si scivissent hi Scriptores, se solos aliquando illorum temporum testes futuros, maiorem, credo, diligentiam in libris suis conscribendis adhibuissent. — Cum autem Eutropius et Victor ipsa illa, quae apud S. H. A. desiderat Dessavius, exponant, his autem falsarius ille quem H. A. confinxisse contendit, assidue, si Dessavium audias,

usus sit, et ipsi quaestio eadem solvenda erit. Non enim difficilius erat illi Scriptori ea ex Eutropio atque Victore describere, quam Vopisco eadem ex seniorum hominum ore petere et in usus suos convertere. — Deinde quum Vopiscus Carini vitam atque indolem — nam de hisce potissimum quaerit Dessavius — quam foedissimas exhibere vellet, non erat cur de illius uxore legitima, de Juliano devicto sermonem injiceret. — Ea vero quae in Moesia acciderant hisce verbis per summa saltem capita significantur: „Nec ei tamen defuit ad vindicandum sibimet imperium vigor mentis, nam contra Diocletianum multis praeliis conflixit". — Unde autem novit Dessavius et vera esse et Vopisci aetate Romae vulgo cognita quae de Carini morte Victor refert?

Quod ad Carini indolem attinet, ea quae narrat Eutropius IX, 19: „Omnibus se sceleribus inquinavit .... Matrimonia nobilia corrupit" et ibid. 20: „Carinum omnium odio et detestatione viventem", satis apte cum illis conveniunt, quae de eiusdem Carini moribus Vopiscus memoriae tradidit.

Quodsi Vopiscus in historia interregni Senatorum gaudium de delata sibi Imperatoris electione prae aliis omnibus describit, id facile ideo fecisse intelligitur, quod talia illius aetatis hominibus multo magis placebant, quam nomina ducum et legionum, qui imperatoris eligendi arbitrium ad Patres detulerant.

Sin vero quaeris „ob die Aufforderung zur Kaiserwahl von einer Armee ausging oder von mehreren", hoc docet Aur. 40 „occiso namque severissimo principe de imperatore deligendo exercitus retulit ad Senatum idcirco quod nullum de is faciendum putabat, qui tam bonum principem occiderant". — Ex quibus verbis apparet, de illo tantum exercitu

sermonem fieri, quem in Illyrico Aurelianus paraverat ut Persis bellum inferret (cfr. ibid. 35. 5).

p. 513. haec habet: „Wenn wir den Scriptores glauben, war es in der Kaiserzeit, und zwar nicht blos in der späteren Kaiserzeit, ganz gewöhnlich, die Aeneis als Stechbuch zu verwenden (sortes Vergilianae), und zwar nicht blos in privaten Kreisen, sondern auch an alten Orakelstätten, wo die Sitte, durch *Aufschlagen* des Vergilischen Epos das Schicksal zu ergründen, ältere Arten der Divination verdrängt haben müsste.... Mir scheint die Verwendung irgend eines Buches zu solchem Zweck kaum möglich gewesen zu sein, so lange noch die alte Rollenform üblich war".

At quis Dessavium docuit sortes illas esse ductas libris evolvendis? S. H. A. id ne verbo quidem significant. — Frequenter hi de sortibus ducendis sive tollendis sermonem faciunt; semper vero ita ut de schidulis vel sorticulis ad sortium Praenestinarum modum ducendis cogitandum sit. — Cf. *Clod. Alb.* 5. 4: „Cum sortem de fato suo *tolleret* his versibus eidem dicitur esse responsum." — *Hadr.* 2. 8: „Cum sortes consuleret.... sors *excidit*." *Claud.* 10. 4 „Sors quaedem *emersit*." *Alex. Sev.* 4. 6: „Sors *exstitit*." — etc.

Neque plus valent ea quae ex Augustini Ep. 55. 37 affert ut probet, morem Vergilianis carminibus ducendi sortes vix ante saeculi IV finem esse invectum. — Quid enim Augustinus? „Hi vero, inquit, qui de paginis *Evangelicis* sortes legunt, etsi optandum est ut hoc potius faciant quam ad daemonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo." — Nihil ergo h. l. de sortibus Vergilianis, sed de sortibus ex S. Scripturis ductis Aug. loquitur; mos autem ex S. Scripturis sortes ducendi ab ethnicorum

consuetudine multo antiquiore originem videtur habuisse. — (Ceterum multo aptius Dessavius ad Aug. Confess. l. IV, c. 3, n. 5 provocasset, ubi saltem de sortibus ex paginis poëtae cuiuspiam tollendis sermonem facit.)

Quod tandem addit ex oraculis illis quinque ex Aen. VI, 756—883 „der sich durch seine Fassung.... für diesen Zweck empfahl"; reliqua duo „aus einem andern ähnlichen Abschnitte" (Aen. I, 265—278) esse hausta, verum dicit. Recte idem monet „dass jene Prophezeiung des Anchises aus B. VI der Aeneis auch sonst wiederholt in der Biographien benutzt ist." At quod addit: „dass der Autor sich nicht die Mühe gegeben hat, den Vergil auf passende Verse durchzusehen" et „sonst hat er sich im Vergil nicht umgesehen" facile in errorem incautos inducere possit, nihil praeterea ex Vergilio in H. A. afferri. Quod quam sit falsum, docet index in altera S. H. A. editione Teubneriana, ubi (sub voce Vergil.) praeter locos allatos ex l. I et l. VI notantur: Aen. II, 314 laudatur Clod. Alb. 5. 2; IV, 272—274 Diad. 8. 7; VI, 365, 30 Tyr. 24. 3; VII, 654 Opil. Macr. 12. 9; VIII, 589 et 591 Maxim. 27. 4; X, 830 Car. 13. 3; XII, 275 Opil. Macr. 12. 9.

THESES.

I.

Historia Augusta, quae dicitur, a variis scriptoribus aetate Diocletiano-Constantiniana conscripta est.

II.

In serie vitarum ab Hadriano ad Macrinum, ab altero Augusti, ab altero ceteri omnes conscripti sunt.

III.

Is qui scripsit „principes minores" aliquam etiam Augustorum seriem composuit, quae maximam quidem partem periit, ex qua tamen vita Macrini et quaedam fragmenta in illa Augustorum serie, quam habemus, extant.

IV.

Collato titulo C. I. L. VI. 1130 cum Tyr. 21, 7 et Probi 2, 1, confirmatur Pollionem et Vopiscum ea, qua dicunt aetate vitas imperatorum scripsisse.

V.

Ciceronis in Verrem l. V. c. 3, § 6.

.... utrum aditum facilem hostibus an contagionem *imitandi* belli periculosam fuisse?

delendum: „imitandi".

VI.

Ib. c. 64, § 165.

Cum haec omnia quae polliceor *cumulate tuis proximis* plana fecero, tum istuc ipsum tenebo quod abs te mihi datur.

Legendum: *cumulatius promissis.*

VII.

Ciceronis Philippica V, c. 3, § 11.

Quid? illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonii *tota exhausit* domus?

Legendum: tota e <*Rep.*> hausit domus.

VIII.

Ciceronis Phil. XII. c. 1, § 2.

At qui consul! Si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset: si virtutem, qui nullam pacem probaret nisi *concedente atque victo.*

Legendum: nisi *cum* cedente atque victo.

IX.

Ib. c. 1, § 3.

Atque id nunc negant, postea quam nos *pacificatoria* legatione implicatos putant.

Legendum: *pacis legatione.*

X.

Ib. c. 12, § 28.

Quae cum agam in consilio, *nullis*, ut arbitror repugnantibus, nonne metuendum est ne imperita militum multitudo per me pacem distineri putet?

Cum codice Italico legendum est: *nonnullis.*

XI.

Taciti Ann. I, 1.

Sed vete*ris* populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.

Legendum: sed vete*ra.*

XII.

Ib. I, 34.

Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti, seque et proxi*mos et* Belgarum civitates in verba eius adigit.

Legendum: et proxim*as* Belgarum civitates.

XIII.

Ovidii Met. II, 135.

Utque ferant aequos et coelum et terra calores
Nec preme, nec summum molire per aethera *currum.*

Legendum: *cursum.*

XIV.

Hor. Ep. I, 2, 31. Versus scribendus est cum codd.:

Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
Ad strepitum citharae *cessatum* ducere curam.

XV.

Hor. Ep. I, 3, 30. Versus scribendus est cum codd.:
Debes hoc etiam rescribere, *si* tibi curae
Quantae conveniat Munatius.

XVI.

Ep. I, 1, 39.
Inspice *si possum* donata reponere laetus.
Legendum: *si possim.*

Verg. Aen. I, 578.
Lustrare extrema jubebo,
Si quibus ejectus silvis aut urbibus er*rat.*
Legendum: er*ret.*

XVII.

Thuc. II. 25, 5.
παραπλεύσαντες δ' οἱ Ἀθηναῖοι ἐπ' ἄλλα χωρία ἐδῄουν.
Legendum: *ἔτι.*

XVIII.

Ib. II. 89. 5.
.......*καὶ ὅτι οὐκ ἂν ἡγοῦνται μὴ μέλλοντάς τι ἄξιον τοῦ παρὰ πολὺ πράξειν ἀνθίστασθαι ἡμᾶς.*
Legendum: *τοῦ πρὸ τοῦ.*

XIX.

Soph. Philoct. v. 1251.
ξὺν τῷ δικαίῳ τὸν σὸν οὐ ταρβῶ φόβον.
ad versum illustrandum conferatur Antigone 573:
ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος.

XX.

Eurip. Hel. 289.
τὸ δ' ἔσχατον τοῦτ' εἰ μόλοιμεν εἰς πάτραν
κλείθροις ἂν εἰργοίμεσθα, τὴν ὑπ' Ἰλίῳ
δοκοῦντες Ἑλένην Μενέλεῴ μ' ἐλθεῖν μέτα.
Legendum: *ἔρρειν.*

XXI.

Ib. v. 291.
νῦν δ' οὔτε τοῦτ' ἔστ' οὔτε μὴ σωθῇ ποτε.
Legendum: *σωθῶ.*

XXII.

Ib. v. 886.
Κύπρις δὲ νόστον σὸν διαφθεῖραι θέλει,
ὡς μὴ 'ξελεγχθῇ μηδὲ πριαμένη φανῇ
τὸ κάλλος Ἑλένης οὕνεκ' ὠνητοῖς γάμοις.
Legendum: *οὐκ ὀνησίμοις.*

XXIII.

Plutarch. Mor. p. 4, E:
εἶτ' οὐκ εἰκότα πολλάκις Σωκράτης ἐκεῖνος ὁ παλαιὸς ἔλεγεν, ὅτι εἴπερ ἄρα δυνατὸν ἦν, ἀναβάντα ἐπὶ τὸ μετεωρότατον τῆς πόλεως ἀνακραγεῖν μέρος „ὦ ἄνθρωποι, ποῖ φέρεσθε, ...
Legendum: *ἔλεγεν ὅτι „εἰ γὰρ δυνατὸν ἦν ....*

XXIV.

Ib. p. 9. A:
δεῖ δ' ἐναλλὰξ καὶ ποικίλως χρῆσθαι ταῖς ἐπιπλήξεσι καὶ τοῖς ἐπαίνοις, κἀπειδάν ποτε εὐφρανῶνται ταῖς ἐπιπλήξεσιν ἐν αἰσχύνῃ ποιεῖσθαι.
Legendum: *ὑπερφρονῶσι.*

XXV.

·Ib. p. 10. D:

ὡς γὰρ ἐν συμποσίῳ μεγάλῳ τῷ θεάτρῳ σκώπτομαι.

Delendum: *τῷ θεάτρῳ.*

XXVI.

Ib. p. 10. D:

„τοῦτον, ἔφησεν ἀπελθών, κρότησον."

Legendum: *„τοῦτον, ἔφησεν, ἐπελθὼν κρότησον."*

XXVII.

Ib. p. 14. E:

. . . . μεθ' ἡδονῆς ἐνθουσιῶσι.

Legendum: *ὑφ' ἡδονῆς.*

XXVIII.

Ib. p. 16. E:

. . . . οὐδὲν πείσεται δεινὸν οὐδὲ πιστεύσει φαῦλον, ἀλλ' ἐπιλήψεται μὲν αὐτοῦ φοβουμένου τὸν Ποσειδῶνα . . . . ἐπιλήψεται δὲ τῷ Ἀπόλλωνι χαλεπαίνοντος . . . .

Rejectis conjecturis Toupii legentis *τοῦ* pro *αὐτοῦ* et Bernardakis mutantis *τῷ Ἀπόλλωνι* in *τοῦ Ἀ* —,

legendum: *ἐπιλήψεται μὲν ἑαυτοῦ.*

XXIX.

Ib. p. 21. A:

πάλιν Εὐριπίδου λέγοντος . . . . οὐ χεῖρόν ἐστιν ὑπενεγκεῖν τὸ . . . . βέλτιον εἰρημένον ὑπ' αὐτοῦ.

Legendum: *πρόχειρόν.*
